

1
6
466









LAGOGRAPHIA,

NATURA LEPORUM, QUA PRISCI AUTORES ET RECENTIORES PRODIDERE QUIDVE UTILITATIS IN RE MEDICA AB ISTO QUADRUPEDE PERCIPIATUR.

LIBER SINGULARIS,

COLLECTUS

à

M. WOLFFG. WALDUNGO
ΦΙΛΙΑΤΡΩ

ET PROFESSORE PUBLICO PHYsicarum quæstionum in Academia Altorfina Noricorum.





AMBERGÆ,
Typis & Sumptibus Joh. Schönfeldii, 1619.

Ælian. in Præfat. l. 1. de animal.

οὐ πάντα πᾶσι καλά. οὐδὲ ἄξια δοκεῖ σπουδάσαι πᾶσι πάντα.

Nunquam omnia omnibus placent, aut ſtudio videntur digna omnibus omnia.

Galen. l. 2. de compoſ. Med. ſecun. loca. c. 1.

Difficile eſt, ut qui homo ſit, non in multis peccet, quædam videlicet penitus ignorando, quædam malè judicando, quædam tandē negligentius ſcriptis tradendo.



VIRIS

CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS:

Dn. DANIELI SENNERTO DOCTO: ET PROfessori Medicinæ in Academ. Witteberg. Clariss.

Dn. JOANNI ROSÆ, PHILOS. ET MED. Doctori Præstantiss. Elect. Regim. Amberg. Solertiss.

Dn. JOAN-GEORGIO AGRICOLÆ AMBERGENSI Palat. Doctori & Medico Patriæ Clarissimo.

Dn. ANTONIO VARO DOCT: ET PROFESS: Medicinæ in Acad. Jenensi, Excellentissimo Dn. Affini Clarissimo.

Dn. JOAN-CUNRADO RUMELIO POETÆ ET Medicinæ utriusq; Doctori, Neagorensi, exercitissimo.

Dn. CASPARO HOFFMANNO DOCT. ET PROFESSORI in Academia Altorffensi Solertissimo, Dn. Compatri plurimum honorando.

Dn. GEORGIO NOESLERO, MEDICINÆ PRACTICÆ & Physices Professori pub. in Academia Altorfina Affini.

S. P. D.

M. Wolfgangus Waldungus Noribergensis.

Professor Publicus Altorfi.

PRÆFATIO.

QUę de Natura leporis apud varios dispersa legũtur Autores, sub uno aspectu ponere conatus sum: & exquirẽs de meis laboribus aliorum judicia, communicavi cum aliquot amicis, q non solum probarunt studium, sed quidam etiam elegantissimis carminibus exornarunt, &, ut publicum facerem, urgendo institerunt. Sed nostri seculi judicia, nõ tam limata & polita, quum perversa extimescens, ab editione hactenus me avocarunt. Accessit iugenuitatis quędam modestia: novi enim ingenii mei imbecillitatem, artium & scientiarum infantiam, styli pinguis tarditatem. Verum enimvero contra virulentam Momorum insaniam, stimulum mihi addit & audaciam Clarissimo: virorum motus conatusq; qui, gravioribus studiis ad tempus depositis, etiam levioribus interdum ducti fuere. Phavorinus apud Gellium Thersitæ laudes quæsivit, & febrim quartis diebus recurrentem laudabit. Georgias Leontinus Helenæ encomium nobis reliquit. Isocrates in laudibus Busyridis occupatus est. Synesius calviciem, P. Mirandula barbariem laudavit. Idem fecerunt, Lucianus im musca, Apulejus in asino, Democritus in talpa, Plutarchus in gryllo, Virgilius in culice, Homerus in ranis, Aristophanes in avibus, Ovidius in nuce, Catullus in passere, Statius in psittaco: brassicæ volumen dicavit Chrysippus, eamq; immenso phu, ut inquit Plinius, laudavit: M. Cato, de raphano librum scripsit, de scylla Pythagoras: & infiniti alii in aliis sese oblectarũt.

Ab

Ab inani metus formidine, & iniquorum censurâ & injuriâ defendit me & tegit præstantium virorum autoritas. Nam non ex meo cerebro nata aut efficta sunt, quę profero, sed tum quo ad res, tum quo ad verba è plurimis antiquis & recentibus autoribus collecta. Quorum maximam partem ipse inspexi, quædam ab aliis citata transcripsi: & distincte scriptura notavi, omnes enim libros ad manus habere non potui. Qui ergo risum facere volunt & labores meos ludere, hi non mihi, sed Classicis autoribus vim & manus afferent. Quare metum & pudorem pono, excellentissimorum enim Heroum testimoniis tectus incedo. Unum restat, ut cui inscribere & dedicare velim, cogitem: hoc dum anxius cogito, nemo ocurrit aptior, quam Vos Clariss. & Excellentissimi Viri. Vobis ex paucissimis natura autor oculos, Vobis intellectum, Vobis judicium concessit: ut soli omnem vim iniquorum judicum avertere valeatis, soli neglecta & omissa addere possitis, soli perperam posita in suum locum & ordinem reponere, vires habeatis. Vobis Vobis ergo hoc literarũ munusculũ offero, quod licet magnis ingenii Vestri dotibus non respondeat, animus tamen donantis, Vobis uti spero gratissimus erit: Quia enim thura nõ habeo, molâ & salsâ mihi litare permissum est.

Accipite ergo Viri Clarissimi hunc ingenii mei, si non gloriosum, tamen laboriosum partum: tutorumque partes agite, & me & illum autoritatis, eruditionisq; scuto contra Zoilorum malignorum morsus defendite. Hoc munusculum licet exiguum, tanti tamen à me fit, ut magnum aliquid perdidisse me, si in doctis & literis tinctis de dicem, arbitrer. Valete, denique feliciter in rei literariæ salutem vivite & hoc erga vos observantiæ τεκμήριον, gratitudinis tesseram, amicitiæ perpetuum, testimonium læta fronte accipite: Waldungumq; Vestrum amare pergite. Altdorfi.

CARMINA
ΕΙΣ ΤΡΙ'ΒΙΒΛΟΝ
CLARISS. VIRI D. M. WOLFGANGI WALdungi Profess. Academiæ Altorph. quo cervum, leporem & canem luculentissimè explanat.

MAgnanimum sunt, quîs cordi est laudare leonem;
Sunt quîs turriferum curæ celebrare Elephantem:
Bellacem sunt quîs volupe est cantare caballum:
Pulchrum cuique suum: ducit sua quemque voluptas.
Ast tibi nunc equidem cervum, leporémque, canemque
Judicio delegisti, fatisque secundis,
O WALDUNGE, tribus quos describsisse libellis,
(Næ bellis) visum, quibus enucleare peritâ
(Dulcia & utilia) arte juvat, quæ commoda magna
Trina ferat fera. Primo autem timidum ecce Lepusculum,
Laute delicium, & dicam? prænobile mensæ
Adponis lætus convivis. Deinde sequetur
Qui leporem insequitur per sylvam prataq; agrosque,
Cervus & hinc veniet feriè atq; suo ordine pernix:
Accipe quisquis eris Lector, qui candidus-æquis,
Ingenium quæ Waldungi tibi donat amœnum.
Collaudavit apem parvam Tuba magna Maronis:
Evexit parvam quoque formicam Solymûm Rex
Nullus apem, nullus formicam spernere visus.
Waldungi haud spernes Cervum, Leporémve Canémve.

Georgius Remus D. faciebat
L. Mq.

VIRO CLARISS. ET DOCTISS. D. M. WOLFgango Waldungo, in Academia illustri Noricorum Altorfina Profess. publ. D. & amico veteri.

EST lepus in cœlis, in terrâ, atque æquoris undis,
In bipedum serie, ac ordine quadrupedum.
Influit in cœlis, alit arvis, æquore obéstque
Et bipedum lusus, gloria quadrupedum:

Inge-

Ingenium Waldunge doces cujusque, libello hoc?
Quem vel corrupti judicis ora probent,
Hinc tua laus totum merito effundetur in orbem,
Qua cœlum, tellus, qua freta cærula erunt.

Janus Cunradus Rumelius
P. & M. V. Doctor.

IN CLARISS. VIRI D. M. WOLFGANGI Waldungi Profess. Altorfini leporem, Thomæ Seghe-ti Scoti Epigramma.

DIxerat arguto sale toto notus in orbe:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.
Scilicet (ut vatum venturi præscia mens est
WALDUNGI in somnis viderat ille librum.

ALIUD EJUSDEM.

Intulerat cœlo leporem veneranda vetustas;
Et tamen obscurus mansit, ut ante, lepus.
Das leporem docto terris WALDUNGE libello.
Libro, quàm cœlo, nobilior lepus est.

M. CHRISTO. REICH.

Parturiit leporem lepus hactenus, idque secundum
Naturæ leges perpetuasque vices.
Nunc edit leporem dignâ cum veste lepóris
Waldungus lepidus, nec tamen ipse lepus.
Omnia vertuntur lepores vertuntur & ipsi,
Quando homines docti parturiunt lepores.

EPIGRAMMA M. MICHAELIS PICCARTI Profess. Norici in syntagma de lepore Viri Doctiss. Wolfgangi Waldungi Collegæ & Amici plurimùm honorandi.

GLoria quadrupedum Lepus emittente peragrat
Waldungo ætherei Solis utramq; domum;
Inq; sui decoris passim proritat amorem,
Quicquid vel sensu judicióve valet.
Huic propere submitte canem vir amice, politum
Et tersum ingenii pumice itemq; tui.

Nec

Nec jucunda minus dederis spectacula Doctis,
Quam populo quondam Martia Roma dedit.
Nam tu, quæ pietas mentem oblectamq; docentq;:
Ille Ædilitius luxus inanis erat.
Nec Waldunge minor tua Munera fama manebit,
Quàm Romanorum Munera bruta patrum.
Quæ sæpè ut parce data, castigata fuêre
Inspectantis adhuc flagitio populi.

IN DOCTISS. V. D. M. WOLFGANGI WALdungi syntagma de lepore.

QUàm juvat in cultis Naturæ divitis hortis
Carpere pergratum bellissima quæq; laborem!
Tu veluti, WALDUNGE, facis, lateq; vagaris,
Plurima depascens donorum dædala scripta,
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.
Nec lepores, sed divinos magè, docte, lepóres
Veneris, vario texens de flore coronam
Doctrinæ Sophiæque! tibi quæ tempora circùm
Ardeat, eximioq; nitens splendescat honore.

Michaël Virdungus Histor. Profess. P.

IN LEPOREM.

CUm sit naturas aptum scrutatus ad annos
Quinquaginta octo priscus Aristomachus:
Quid lector mirare, aliquot consumere menses
Waldungum, leporis texat ut historiam!
Ille quidem in tenui multis labor esse videtur,
De tam contemptis scribere bestiolis.
Gloria sed tenuis non est, dispersa libellis
In variis tabula proposuisse brevi.

Compatri & Collegæ honorando L. M. F.
M. Georgius Mauritius Witebergensis.

IN CLARISS. VIRI D. M. WOLFGANGI Waldungi Adfinis carissimi, &c. Leporem.

CUr solus geminis oculis dormitet apertis;
Cur adeo longas erigat auriculas;

Et quur (auditu & dictu mirabile) in annos
Permutet sexum prolis amore Lepus:
Tandem quam varium præstent usum in medica arte
Cor, cerebrum, sanguis, pulmo, oculi Leporis,
Omnia subcincta brevitate, atque arte fideli
Waldungi Musæ nos docuisse velint.
Nudum ergo Leporem in sylvis relinque. libello in
Præstari Leporem haud absq; Lepóre cape.

L. Mq; lusitabat Christoph. Hæslich. P. C.

ALIUD.

OLim deliciæ lepus palati
Per mandentia morsus ibat ora:
At nunc ingenii lepus voluptas
Per mirantia lectus ibit ora.
Infestam fugiens miser Dianam,
Usus forte tamen placatiore
Sacræ præside Delio catervæ
Is hunc virginibus dedit Camænis,
Waldungo dederunt suo Camænæ,
Ut in secula mitteret perennem.
Jam nec vulnera cuspidis cruentæ
Nec dentem catuli timet sequacis
Venturi senio superbus ævi.
Nam nunc ingenii Lepus voluptas
Per mirantia lectus ibit ora.

Affectus ergo. Samuel à Pzypkowice Eques Polonus.

Parodia Horatiana ex 1. Carm. Od. 6.

AD CLARISS. V. D. M. WOLFGANGUM Waldungum Hospitem & Amicum suum multis nominibus colendum.

SCibaris LIBIO clarus & omnium
Victor melliflui carminis alite,
Morbum, quamque bono, querquerta & horrida
Febris te duce, fugerit.
Nos Waldunge, neque hæc dicere, nec grates
Ægrotum stomachus, dicere nescii
Nec cursus duplicis membra per optima
Podagræ miseram aut luem
Conamur, tenues grandia; dum pudor
Imbellisq; lyræ musa potens vetat
Laudes, egregii Phœbigenæ, tuas
Culpa deterrere ingenî,
Quis Asclepiadem, ex arte sua virum
Digne scripserit? aut, optime vir, tui
Fetus ingenii? vel leporem tuum
Ter lotum supero parim?
Nos convivia, nos basia virginum,
Nos almæ Veneris dulcia prælia,
Cantamus vacui, sive quid urimur
Non præter solitam viam.

L. Mq. scribta à Georgio Mund. Rodacho Francone. P. C.

IN LEPOREM CLARISS. VIRI D. M. Wolfgangi Waldungi, Profess. Phys. Pub. in Altorfina Academia Epigrammation.

QVeris, quid novi hic teneat liber? Inspice lector
Est lepus, estq; lepos.
Est lepus in rebus, sed verbis est lepor, ambo
Lecta, relecta placent.
Non lepus est talis, qualem gustavit is olim,
Ceu bona fercula, ἔνον.

Sed

Sed lepus hic minor est non major, sed leporina,
Non asinina caro.
Hunc nobis capit Waldungus: Sylva in opaca
Sæpe diuq; agitans.
Nec tantum cepit, sed jam concedit, eodem
Utier & fruier,
Quocirca lepores, lepores dico Esurientes
Huc modo ferte pedes,
Huc modo ferte manus; emitur lepus hicce minoris
Quam lepores calidi,
Qui veniunt è caupona, arridéntq; per horam:
Post lepus, asq; deest.
Non ita erit novus hic lepus, ast levipes loca multa
Per-bene-curret eo
Tramite, quo capit, vivet lepus, huncce nec ullus
Esse canis poterit.
Nec tuus ipse canis Waldunge, sed una papyrus
Et leporem atq; canem
Unanimes capiet (liga certe erit hæc paradoxa)
Hinc quoq; mitte canem.
Sub prælum, ac illo Physicis prodesse labora:
Inde perenniflluum
Surget nomen, honos, hominum quoq; Gratia doctûm
Quid cupis ulterius.

ἡδέως subscribebam Joan. Leib
L L. Studios: è Francis Streifdorfficus.

Δεκάστιχον

LIVIDIS CYNICORUM DENTIBUS OPPOSITUM.

UT pandunt rictus serie numerosa Molossorum
Agmina, & arrecta circuit aure Lacon!
Mactaturus atro, quæ promis fercula, morsu,
Waldunge, abstrusæ vir operate φύσει.
Heus sed odora minus, minus & generosa canũ vis!
Sis fuge; non stomacho præda parata tuo,

 Speras

Speras infeſtis Leporem prodire cavernis,
En feſtivus adeſt ex Helicone Lepos.
An ſapit? haud ſapit hic. nec mirum, Nautea ſemper
Inſulisque ſales illepidiſque Lepos.

χάριτος χάριν Hoſpiti ſuo F. Joannes
Burchman Wolgaſto-Pomeranus
L L. Studioſ:

IN LEPOREM CLARISS. MEI WALDUNGI.

SI quoties leporem mittebat Gellia Marco
Formoſus ſeptem Marce diebus eris,
Dixit: ſed dicta haec non reſpondentia forma
A Marco in dubiam ſunt revocata fidem.
At Leporem Waldunge tuum, Charitúmq; lepore
Imbutum, & Veneris Nectare & Ambroſia,
Qui digitis avido multúmq; attriverit ore,
Is quinta aetatis parte venuſtus erit.
Macte venuſte Lepus! debetur judice Marco
Inter quadrupedes gloria prima tibi.

Henricus Salmuth Lipſ. H. F.
Lud. 1618. KL. Septemb.

ALIUD.

I

CUrre lepus varias benè tutus curre per oras
Panduntur vitae retiae nulla tuae.
Terreat accipiter ne te praedantibus armis
Rictibus aut celeres in tua damna canes.
Hoſpes eris ſacris longe gratiſſimus aulis
Unica Pimpleo tu fera nata jugo es.

II

Reddidit Alcidem famâ ſuper aethera notum,
Horrendus rigido quem necat enſe Leo.
Waldungi aeternos nomen transmittit in annos,
Quem donat vitâ liberiore Lepus.
Hoc Leo quod potuit, leporem quis poſſe putaret,
Ni Waldunge tuus viveret iſte Lepus.

Calli-

III

Callidus in ſylvis Lepus olim vixit opacis;
Captus at hoc jam nunc vivit in urbe libro.
Vivere qui leporem captum ſic fecit in urbe:
Quo venatoris nomine dignus erit.

IV

In quo ſecurus vigili lepus eſſet ab hoſte
In terris nullum viderat eſſe locum.
Ergo inquit ſylva, montes, agriq; valete:
Mons, ager, in quo ſum jam mea ſylva liber.

V

Absq; dolis, canibusq; feras qui prenderet acres
Actæon nullus, nulla Diana fuit.
Waldungus leporem cane nullo cepit & armis,
Crede oculos Lepus hic ponitur ante tuos.

Gratæ memoriæ & debitæ obſervantiæ Hoſpiti ſuo Longè cariſſimo reliquit Joan. Morolski Polonus.

IN EUNDEM LEPOREM.

Qui leporum quæris latebras venator adeſto,
Hic tibi nunc veniet præda cupita Lepus.
Non opus eſt jaculis, nec item pernice Moloſſo,
Nec tacito paſſu circumeundus erit.
Se dabit ipſe tuis manibus tractabilis ultrò,
Quo fuerit domini gratia nacta tui.
Non coquus hunc debet fumanti inferre culinæ,
Ut pipere appoſito præparet inde dapes.
Qualibet hunc leporem ſimul eſt habitura paratum
Menſa, ubi convivis cingitur ipſa ſuis.
Exiguum quamvis tamen hunc vel turba per avum
Haud edat, aſſiduâ ſit licet uſa vice:
Non tamen hic vacui tollet jejunia ventris,
Expedit ergo aliis te ſalutare cibis.
Talem nunc Leporem cunctis Waldunge dediſti
Dum tua quis Leporum ſcripta theatra vides.

Stephani Raſoris à Mako
Pannonii Ungari



LAGOGRAPHIA SEU LEPORUM NATURA.

CAPUT I.

Occasio & causa scripti

Occasio & Causa hujus scripti.



Nihil est in naturæ censu ociosum: nihil despicabile, inquit Scaliger l. 1. de plantis: nihil ergo parvum contemnendum, potest enim magni aliquid latere. Hinc videmus Magnos viros umbram, araneum, muscam, apes, bombyces, ne quid dicam de cane, equo & Elephante, laudasse. Horum studium & diligentiam in descriptione animantis cujusdam honestâ quadam æmulatione, dispari quamvis felicitate & ingenio, ostendere conatus sum. Elegi autem animal satis notum, sed ut plurimis videbitur ridiculum: quos tamen, antequam finem narrationi imposuerim, judicium ut suspendant amice rogatos volo. Non enim ex meo cerebro nata, sed ex plurimis præstantissimis autoribus, quæ dicturus sum, maximo collegi labore. Et quia in horum monumẽtis inveni multa jocunda, plura utilia, plurima necessaria, quæ suaviter sæpius me affecerunt, etiam lectoribus, uti spero, jocunda futura sunt. Conscripsi autẽ de lepore, quantum temporis ratio tulit, omnia, quæ tam à profanis, quàm sacrarum literarum scriptoribus, notata inveni: tũ ut Bacchi, Cereris, Floræq; festis diebus aliquid darem, tum ut relictis gravioribus studiis, jocis non inhonestis, sed Physicis meis studiis convenientibus, animum relaxarem aliquantulum. Illud namq; Poëtæ.

περιοχὴ τοῦ ... scripti.

Quod caret alternâ requie durabile non est.

non solùm de quiete ad somnum, sed etiam animi recreationem referendum esse puto. Immixta autem erunt jocundis multa habentia admirationem, & omnem captum excedentia humanum. Quæ non solùm immensam & infinitam DEI potentiam ostendunt,

dunt, sed & nobis ad virtutis arcem monstrant viam, à vitiis verò plurimis abducunt. Dum ergo apud veteres sparsa in unum colligo opus, & ad colligendas conchas & umbilicos, aliquid têporis tribuo, mecum animum relaxate, & si quid forsan omissũ est, monete, complete, & nondũ observata audite, lectores præstantissimi. Plures enim oculi plus vidẽt uno: & nemo unquam unus simul omnia cõpræhendit, inquit Scaliger. Non solùm ergo liberum erit monere, sed etiam tam gratum quàm gratissimũ. ἀποστροφὴ ad lectores.

Namq; ego cuncta meis complecti versibus opto.

Quod si intellexero, leporem aliquid lepóris ac venustatis apud lectores consecutum, mox canem, quem ferè elaboratum sub manibus habeo, ut & Ciconiarum & Alcis historiam in publicum emittam. *Pollicitatio.*

CAPUT II.

Leporis varia significata.

ANtequam ad id, quod volo, veniam: prius varia vocabuli significatio explicanda. Lepus alius verus, alius fictus: verus vel terrestris vel marinus: terrestris vel major, & propriè lepus dicitur, vel minor, quem cuniculum vocant. Fictus vel est terrestris vel cœlestis: terrestris vel artificialis, vel metaphoricus & translatus. *Leporis vox ambigua.*

CAP. III.

LEPUS METAPHORICUS.

Sic eo retrogradus cancer ut ire solet.

NAm ab ultimo significato initium faciam, sed breviter. De imagine leporũ, quæ per translationem in stultis, fatuis & timidis, ut & infamibus & impudicis hominibus nobis depingitur, in præsentia nihil dicam. Superioribus namq; annis eâ de quæstione disputatio satis festiva & scripta & evulgata est: ita ut dictis nihil addi possit. Hoc tantum addã, Lepores, quos nobis tacitè Salomõ objicit, norunt suã infirmitatẽ & imbecillitatẽ, & idcirco quærunt latebras: non suscipiunt majora viribus: non amant loca frequentata, sed solitudines. Homines vero vitiorum *Metaphoricus.*

& peri-

& periculorum incommoda licet prospiciant, tamen non fugiunt ea: & plerumq; iis rebus, quæ vel maximè tegere debebāt, se ridendos præbent aliis: & mutabilitati fortunæ se committunt. Hinc in veteri fabula introducuntur lepores dominantes & præscribentes decreta leonibus, à quibus tandem dilaniantur: qua significatum fuit, sæpè timidos principes & duces imperare sævis & ferocibus subditis, à quibus etiam evertuntur ipsi duces. Narrationem G. Rollenhagii lepidam, quam habet in verisimilibus mendaciis. c. 11. reticere non possum: In Salana Academia Jenēsi Eberhardus Snepffius cū Elisei historiam pro cōcione tractaret ex 2. Reg. c 5. & Gehasi vitia cum auditorum suorum erratis conferret, inter alia dixit: Gehasius ardentis avaritiæ sordes in corradendis nummis satis apertè declaravit: sed quæso, inter nos quis non est Gehasius? quis divitias non plus amat, quam honores divinos? ego, tu & quisquis nostrum divitiis expetendis penitus inhæremus: si ergo lepræ pœnam velimus effugere, pecuniarum aviditas nobis abjicienda. Hinc inter D. Studiosos proverbium natum, ut alter alterum Gehasium vocitaret: quod dicto citius Lipsiam & Wittebergam pervenit, & ita frequens fuit, ut etiam famuli, cives, mercatores, & equites aulici, licet proverbii vim nō intelligerent sese invicem lepores vocarent. Relatu dignum & illud, civilium bellorum, tonantibus procellis inter Augustum, Antoniumq; Cornificium Poëtam à militibus destitutum interiisse: quos sæpè fugientes Galeatos lepores appellavit. Tessera sive lepusculus, sive jaculum (hæc illi antiqua nomina, teste D. Isidoro) Græcis κύβος, nobis cubus vel quadrantal, olim & numeri, æqualia sex latera habet, angulos rectos bis quatuor. Delrio in Senecæ Herculem Furentem v. 325.

CAPUT IV.

Lepus Artificialis.

Artificialis.

AD artificialem leporem quod attinet, non intelligo pictum, aut sculptū, sed illud vinculi aut fasciorū genus, quo utuntur Chirurgi in vulnerum, & fractorum membrorum curationibus. Quod etiam non est hujus instituti. Qui tamen, quid sit, scire gestiunt, adeant Galen: l. de fasciis.

CAPUT V.

Lepus cœlestis.

Cur de lepore cœlesti agendum.

Quomodo in cœlum translatus.

QUamvis & leporem cœlestem præterire potuissem, tamen quia
Astrologia Physicis studiis annumeratur, & de lepore quædam
jocunda & ridicula nonnulla in illa de lepore habentur, strictim &
quam brevissimè possum per curram. Quidam opinantur leporem
juxta Orionis pedem extare fugientem, quod venator fuerit maxi-
mè insignis. Sed non omnibus placet hæc fictio: puerile enim es- 1.
se putant, tam nobilem venatorem persequi leporem. Quare &
Callimachus apud quosdam malè audit, quod inter Dianæ laudes
dixerit: eam sanguine leporino gaudere ob idque eum venari. A 2.
quibusdam propter celeritatem nimiam inter astra numeratus est.
Aliis inter sydera collocatus videtur, quod in Lerum insulam tan- 3.
quam ignotum animal importatus sit prægnans, cujus partu & di-
ligenti educatione, ita aucti sunt lepores, ut non solum totam insu-
lam repleverint, sed etiam vastarint. Ne ergo fame perirent, in-
terfecerunt, in mare deturbarunt, & omni studio ex insula abege-
runt lepores. Quare Jupiter lepore in cœlum translato, homines
monere voluit: sæpe nos expetere, quod interdum plus damni, quam
utilitatis adferat: neq; vere scire homines concupiscere quæ ex usu
sint. A. Piccolom. &. H. Decimator de stellis. Ptolomæus distin: 8.
Alm. tribuit duodecim stellas, è quibus octo reliquis sunt lucidio-
res, duæ tertiæ, sex quartæ magnitudinis. Quæ ipsius tempore in
Tauro & Geminis fuere, nostro vero omnes in Geminis sub pedib'
Orionis. Hunc à tergo sequitur Syrius. Aratus. Tullius in fragmen-
tis Arati, Ruffus, Festus, Novidius l. 16. Sacro: Fasto: Sub hoc sydere
nati tanta fiunt corporis levitate, ut cum currere cœperint, velocita-
te sua agitati, aves superare videantur. Hunc locum si Mars respe-
xerit stadio dromolos facit: Si vero Luna cum Marte pistomacheri-
os. Si Mercurius præstigiatores aut pilarum lusores. Si Venus pan-
tomimes aut mimologos. Si Mercurius & Venus pariter novarum
artium nimiæ diligentiæ studio perfectores, præsertim si hos eodem
in omnibus quib. diximus apotelesmatis, dialis testimonium radia-
tionis adjuverit. Quod si hunc locum Saturni per quadratura aut
diametrum viderit, fugitivos faciet, qui lares suos, ad longinquas

Quot stellis constet & ubi locatus.

egiones migrantes prono animositatis studio separabunt, atque ab his dividentur. Si lepus in occasu fuerit inventus, & habeat benevolarum simul & malevolarum stellarum testimonia, cum magno labore vitæ subsidia queret. Si vero solum malevolarum stellarum testimonium accesserit, à feris consumpti penitus & lacerati morientur. l. Firmicus Astronom. l. 8. c. 8. Manlius l. 5.

CAPUT VI.

Lepus Marinus.

Descriptio leporis marini.

LEpus marinus æquoris animal loligini parvę similis ex mollium genere: sic dictus, quod leporis faciem colore referat. Matth. l. 2. c. 18. Ælian. l. 2. c. 45. cochleæ tegmine nudatæ similis Marcel. Virgil. in Dioscor. l. 2. c. 18. Plin. l. 9. c. 48. informis magis offa, quã piscis: quamvis idem l. 32. c. 11. videtur inter lacertorum genera numerare. Rondelet: sic eum describit: quod nihil aliud sit, quam massa quædam carnea informis testaceorum instar, & cochlearum testa exempta: Ælian. l. 16. c. 19. Plin. l. 9. c. 48. Indicum terrestrem representare scribunt, pilis exceptis, quos marinus erectos, spinosos & ad tactum resistentes habet: cum terrestris pili molles sint, & ad tactum haud quaquam resistentes. Propter celeritatem rare capitur: quia neq; in rete incidit, neq; ad lineæ escam accedit. In India viventem capi negant, invicemq; illi hominem veneno esse, ac digito quoq; in mari tactum emori Plin. l. 9. c. 48. l. 32. c. 1. Hermol. Barba. in Dioscor. l. 2. c. 220. Ælian. l. 16. c. 9. De lepore marino Apulejus in Apolog. hæc habet: Hunc adeo pisculum, quem vos leporem marinũ nominatis, plurimis, qui aderant, ostendi, nec dum enim decerno, quid vocẽt, nisi quæram accuratius, quod nec apud veteres Philosophos ꝓprietatem ejus piscis reperio, quamquam sit omnium rarissima, & hercule memoranda. Quippe solus ille quantum sciam, cum sit cætera exossis, duodecim numero ossa ad similitudinem talorum suillorum in ventre ejus cõnexa & catenata sunt. Quod Aristoteles si scisset, nunquam profecto emisisset, scripto ꝓdere. Ad quæ verba Clariss. D. Doctor Scipio Gentilis Compater meus plurimum colendus, & olim Juris in nostra Academia Altorfina primarius Professor, & inclitæ Reip. Noriberg. Consiliarius, in notis suis ita scribit. Mira de hoc pisce Plin. scribit, ut ipse multis

Raro capitur.

ocis operis sui commemorat, ut mirer Apulejum hic affirmare nihil de proprietate ejus apud veteres Philosophos reperiri, cum multa ex illis Plinius recitet. Imo & ex libris Jubæ regis, quos ad Jul. Cæsarem Augusti filium scripsit. Sed ea fabulosa forte Apu-

II



I



III





lejus credidit, aut alium piscem intelligit, cum dicat nescire se, quid eam vocent: Horat: 2. Satyr: 2.

——————nec ostrea.
Nec Scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.

Idem Scipio ad illa verba: quippe ille duodecim in ventre habet, ait: cum tam multa ut dixi Plinius de lepore marino tradat, hoc tamen nuspiam docet magis conformior in ea sententia, ut putem alium piscem ab Apuleio intelligi.

Genera. Genus horum triplex à Grevino de venat: l.2. c.17. describitur & depingitur. Cardanus de varieta: l.7.c.37. ex Rondoletio etiam tria genera numerat; ut & Matthiol. in Dioscorid. l.3. c.18.

Effectus seu qualitas venenosa. Totius substantiæ diffidio atq; repugnantiâ lepus marinus solos pulmones exulcerat, & erodit; & per hos medios etiam cor corrumpit. Galen: l de theria: ad Pisonem. Fernel. l. 4. method: med: c.5. Langius l.1.E.43. Capivaccius l.7.c.2. Qualitas ejus nobis cõtraria. Galen: l.7. de usu partiũ. Venenũ corrodens & putrefaciens. Avicenna. l.4. F 6. t.1. c.2. Humores quodam occultos habet mortiferos supra omnia venena quæ mari terraq; nascuntur. Philo: in vita Apoll: l.6. Ex animalibus exitiosa & lethaliter corrumpentia. Æëtius l.4.s.1.c.45. Homini ergo lethale venenum, ut nisi promptum sit remedium, etiam moriatur. Hunc nocere tertiis qualitatibus scribit Scaliger E.32. s.2. Etiam solo tactu. Plin: l.9.c.48. Ælian: l.16.c.19. Habet venenum immedicabile lentâ tabe consumens. Moriuntur enim homines totidem diebus, quot vixerit lepus. Est igitur in certi temporis veneficium ut autor est Lycinius Macer. Plin: l.32.c.1. Matthiol: l.2.c.18. Si nihil aliud, ventrem acerrimis doloribus torquet. Ælian: l.2.c.45. Calman: Somatol: l.19.q.1. nescio cujus autoritate scribit, marinum leporem spectantes nauseabundos facere ut facilè vomituriant. Etiam conspectus à prægnantibus abortum facit ingenti prius excitata nausea: cujus rei testis est Rondoletius. Plin: l.32.c.1. Matthi. l.2.c.18. Olaus l.20. c.19 tradunt hunc solo visu reliquos pisces ut Basilisc⁹ sibilo serpentes, fugare. Hoc cibis admixto multos sustulit Nero & Domitianus: eodẽ. Titum fratrẽ sustulisse creditur, ut autor est. Philostr: in Apoll. vita. l.6. Et in appendice ad illa Apulei verba quem vos leporẽ marinum nominatis addit Clariss. Scipio. Nec temerè

merè maleficiũ ex eo conjectarũt Apulei accusatores, quasi mulierẽ eo necarit l. 4. Nam veneno ejus Titum quoq; imperatorẽ extinctu tradunt. Tzetzes τίτος θνήσκει βεβρωκὼς λαγῶν τῶν θαλασσίων. Quæ etiam Casaubonus in animadversionibus ad Sueton. l. 8. Proinde in hos qui contabescunt, nec ullâ medicorum ope possunt restitui, dici potest, edit leporẽ marinum. Erasm. Chil. 2. cap. 1. Adag. 15. Plutarch. de virtutibus mulierum scribit: Learchum Arcesilaum morbo tabifico & gravi propinato lepore marino necasse. Vescitur hoc unum animal, ut non moriatur, mullus piscis, qui tenerescit tantum, sed ingratior viliorque fit. Plin. lib. 32. cap. 1. Hermol. Barb. in Dioscor. lib. 2. ca. 220. Tantâ pernitie pollet, ut non solum assumptus, sed manu vel baculo attactus interficiat hominem subito. Plin. lib. 9. cap. 48. nisi radice ad idem in insula quadam nascente succurratur. Ælian. lib. 16. cap. 19.

Signa assumpti leporis marini inflammatio pulmonis, constrictio anhelitus, difficultas spirandi, facies cadaverosa cum rubedine, oculorum hebetudo, tussis sicca, sputum sanguinis, phthisis, difficultas urinæ, mictus sanguinis, urina violacea, dolor in stomacho, vomitus superfluus, choleræ & sanguinis, color corporis luridus, qualis in ictericia, angustiæ, dolor renum, egestio violacea, quandoque mucosa cum sanguine, sudor copiosus & fœtidus, nausea ad cibum, horror ex aspectu piscium homo præterea piscium corruptorum virus olet Dioscor. de vene: lib. 6. cap. 30. Plin. lib. 32. cap. 1. Vidus Vidius de cura: genera: lib. 2. cap. 4. Cardan. de vene. lib. 2. cap. 1. Avicenna addit: marinus lepus adeo icterum inducit, ut totius corporis habitus croceo admodum colore inficiatur: postea facies livens intumescit, pedum plantæ incenduntur. Ex fœtore, qualitate & odore, rana, rubeta & lepus marinus cognoscitur. Aëtius lib. 9. cap. 46. Si incipit appetere pisces, sperare poteris de valetudine recuperanda. Matthiol. in Dioscor. lib. 6. cap. 30. Plures tamen convalescentium in phthisin cadunt. Signa.

Generalis curatio in hoc consistit ut educatur principio per vomitum, sed cum jam incipit exulcerare pulmonem sequiturque sanguinis sputum, alienus est vomitus: quamobrem sollicitan-

licitanda alvus eporis cattharticis, ut scammonea, nigro veratro, electuario Indo, hamech. Si quid retentum in corpore, corrigendum. Sed eum jam exulcerat pulmonem, necesse est, qualitate manifestâ erodat, latenter vero & vi totius substantiæ feratur propria ad pulmonem, quamobrem pugnandum est, adversus utramque. Acrimoniam remittemus lacte humano, asinino, caprino, bubulo: Plin. l. 28. c. 9. Aqua in qua malva aut radix altheæ cocta fuerit. Plin. l. 20. c. 21. Contra latentem vim totius substantiæ dabimus communes antidotos & proprias. Vidus Vidius loco citato. Dioscor: l. 6. c. 30. exhibet lac asininũ, decoctum malvæ, radicem cyclaminis cum vino: veratrum nigrum, scammonii succum cum aqua mulsa, puniciq; mali acinis, anserinum sanguinem tepentem. Idem l. 23. c. 6. Punica mala contra leporem marinum laudat hoc modo. Acinis detracto cortice tusis succoque decocto ad tertias, cum croci & aluminis scissi, myrrhæ, mellis Attici selibris. lib. 24. cap. 5. Succum cedri suadẽt & contra venenum leporis marini bibere in passo: & paulo post laudat & fructus cedri lib 25. cap. 10. lepori marino adversatur & cyclaminos. lib. 28. cap. 7. Peculiariter valet potum contra venena, quæ data sunt, è marino lepore, bupreſtique ut Aristoteles tradit, dorycenion. cap. 10. probat lac asininum. Idem ossa asini confracta contra leporis marini venenum dãtur. Idem lacte equino venena leporis marini & toxica expugnantur. Remedio esse marem tradunt, induratum sale, ut in brachialibus eum habeãt Hermol. Barb lib. 2. corolla: in Dioscor. cap. 2. 220. Conferunt etiam semen altheæ, jus cancri fluviatilis, eritius, & assatus sanguis ejus: calamentum fluviatile: sanguis anseris; urina hominis antiqua, ellebori parum cum vino: Avicen. l. 4. F. 6. t. 2. cap. 4. Aëtius. l. 4. s. 1. cap. 23. Rhas. ad Alm. lib. 8. cap. 32. lib. 2. de antidot. Cedrus & fructus ejus cum vino. Avicen. l. 2. t. 2. cap. 163. Ruell. de hereb: lib. 1. cap. 62. Plin. lib. 24. cap. 5. Aureus unus aut duo in potu. Avicen. cap. 248. Cyclamen cum vino. lib. 2. t. 2. cap. 277. Ruell. l. 2. c. 94. Lutum sigillatum. c. 417. lac. cap. 441. Radix alismæ drachmæ pondere in vini potu. Plin. lib. 25. cap. 10. Omnia remedia huic malo convenientia in unum collegisse scribitur Santes Ardoynus de venenis; quem tamen hactenus inspicere non licuit.

Habet tamen aliquid utilitatis tantum venenum. Marini namq; lepores oleo veteri injecti benefaciunt discutiendis strumis. Sed cum ipso oleo in plumbea pixide clusi, quam diebus 40 diligenter alligatam oportet haberi. Postea ex ea pinnula oblinendæ sunt strumæ, superq; eas pellis lanata non nimium tonsa tegendi gratia imponenda est. Præcipi autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet, aut inquinatas prius quam bene eluerit ad os referat. Marcell: de remed: Emp: l. 15. Plin. l. 32. c. 8. Marinus lepus per se tritus aut cum urtica marinâ illitus capillos evellit. Diosco: l. 2. c. 18. Leporis marini sangvine & felle cancri, scolopendræ marini cinis cũ oleo torpedinis cerebrum cum alumine illitum sextâ decimâ lunâ, ad psilothra prodesse scribit. Porta phylog: l. 3. c. 37. *Psilitas.*

CAPUT VII.

Leporarium.

LEPORARIA antiquitas nominavit, quod lepore septis inclusos asservarent ut cum res postularet, quasi expenu haberi possent. Hinc etiam lagotrophia dicta. Grapal: l. 1. c. 7. Postea vero ad omnia septa affictа villæ quæ sunt, & habent inclusa animalia, quæ pascuntur retento nomine translata fuerunt. Gell. l. 2. c. 20. Nunc vivaria dicuntur, id est, septa quædam loca in quibus feræ, non solum lepores, sed cervi, capreæ & aliæ feræ pascuntur. Veteres in eodem septo habere solebant cochlearia, atq; alvearia: atq; etiam dolia habebant ubi habebãt cõclusos glires: item piscinas hinc theriotrophia nuncupabantur Leporarium primus inter Romãos Fulvius Hirpius exstruxit vel ut Varro l. 3. c. 3. scribit Lippinus. Fuerunt etiam Roboraria dicta à tabulis roboteis, quibus fierent antequam macerias & mœnia noscerent. Grapal l. 2. c. 20. & 30. Monte catin: l. 1. Polit: in Aristotelem. Lupi, ursi leones & alia hujusmodi animalia, quæ nullam prorsus nobis utilitatem afferunt huc non pertinent. *Leporaria seu lagotrophia.*

tinent. quia ad delitias solum includuntur. In Gallia Transalpinæ. T. Pompejus tantum septum venationis, ut circiter 4000. passuum locum inclusum haberet, habuit. Varro citato loco. Jam ex optimis parietibus fiunt, quale est in Italia apud Ticinum eximiè exstructum à Mediolanensibus Ducibus, plurimis diversum parietibus, ac uno perpetuo viginti millium passuum muro, quadranguli formâ circundatum. Majolus dierum canicula: coll. 7. locum in quo lepores venarentur λαγώβολεῖον Græci vocabant. Rhodig. l. 14. c. 31.



CAPUT VIII.

Nomen leporis terrestris.

Nomina variarum lingvarum.

NOmina variarum lingvarum hæc sunt. Angli à haere. Arab: Araaben, Ernab, Harneb: Belg: hase. Bohemis zagitz Brasilien: Thabiti. Chald: Arneba. Canadens: Soushanda. Croat. sez. Dalmat, zeetz. Gall. lieure. Græcis λαγωὸς, σρωννὺς, πτώξ, δασύπους, vulgo λαγὸς. Hebraicè Arnebet. Hispanicè liebre. Hungaricè ngul. ladensibus. plando. Italicè. Levoro. Lacedæmon: τεχίνε plura χεκῆνες. Latinè lepus. Lusaticà Sawitz. Persis Kargos. Polonicè Sajonz. Saracenicè arneph. Sclavonicè Saiz. |Turcis tauschan vel tausan. Zerg: campagnola.

Etymologia Græca.

Variæ hujus vocis traduntur etymologiæ, è quibus quam quisque veriorem putat, eligere potest. Varro vocabulum Græcum Æolicum λέπορις esse putat. l. 3. c. 12. & de ling. lat. l. 4. Sed l. rerum divinarum apud Gell. lib. 1. cap. 18. à λαγωὸς: Bonam. lib. 4. de alim: c. 8. lepus dictus λαγῶς Attice, Jonicè λαγὸς, quia solus in buccis intus & pedibus sit pilosus. Alii ab aurium longitudine, nam λα intendendi particula & ὖς vel ὦς ὠτὸς auris est. Nisi quis putet ἀπὸ τῦ λάειν. ὃ ἐς βλέπειν quod apertis oculis dormire consueverit. Rhodigius libro decimo quarto, capite vigesimo nono. A formidine perpetuâ leporis etiam aliud

aliud nomen adepti apud Græcos ut πτῶκες dicatur ἀπὸ τοῦ πτώσσειν. Pollux l. 5. Léporem latinè non quasi levipedem, ut L. Ælius & Cicero in Arato. Isiodo. l. 12. Orig. cap. 1. sed quasi levíporem, ab agilitatis pedum levium famulatu, prout Martiporem, Publiporem, Quintiporem appellatum putat Camerarius probl. O. 5. c. 2. Apud Hebræos Sephan occultationem significat: & locutio per Schin lepusculum, quod insitam huic animali pavitationem, si dicere concederetur, notat. Quia scilicet in cubilibus libentissimè delitescat. Apud eosdem leporis sub fœmineo genere uterque sexus comprehenditur: propterea quod mas non reperiatur, aut quod mas convertatur in fœminam & contra, ut falso putarunt cum vulgo Rabini Aben Esra & Salomon in Leviticum. Λαγιὸ lepusculus diminutivum Cicero l. 1. de natur. deo. ubi disputat non solum credendum esse id, quod attingimus & videmus, utitur hac voce. Si Seryphi natus esses, nec unquam egressus ex insula, in qua lepusculos, vulpeculas, sæpe vidisses: non crederes pantheras & leones esse. Δασύποδα alii leporem vertunt, alii cuniculum. Dalemcam. l. 9. in Athen. Cuniculi ab eo dicti sunt, quod sub terra cuniculos facere soleant, ubi lateant in agris Varr. l. 3. de re rust. c. 12. Plinius sæpius dasypoda à lepore distinguit. Aristoteles confundit ut & Julius Pollux.

Latinè.

Hebraeè.

Genus Grāmaticum.

Diminutiuum.

CAPUT IX.

Descriptio formæ.

CAput agile habet, breve, rotundum, hirsutum, non rigidū, longitudinem idoneam, scapulas rectas, desuper non aptas. Crura in seipsis gracilia, solida: pectus non angustum, latera tenua, habilia: spinam teretem, alvum carnosam: Ilia tenera, cava laterum idonea, clunes obesas, undiq; plenas, congruo interstitio. Pedes breves, non æqualia crura: posteriora n. prioribus multum longiora, parumq; procurva. Fœmina longa, densa; musculos exteriores intensos, interius non tuberosos: internodia longa, nervosa: pedes anteriores summè flexiles, angustos,

rectos: posteriores rigidos, latos, nullius utrosque non contemptores asperitatis. Villos breves & exiles. Xenoph. de venat: Oppian. l. 3. de venat. Et quia pedes leporis anteriores sunt breviores, hinc fortassis pronum eum vocavit Ovid. l. 10. metam. f. 13.

Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum.



Caput X.

Genera leporum.

Divisio seu genera leporum.

VArro l. 3. c. 12. tria leporum genera celebrat. Xenoph. de vena: duo. Magni sunt subnigri, multum fronte nitescentes. Minores flavi, parum ostendentes candoris. Gesn. de animal. distinguit à magnitudine & locis, dicit majores esse in Ægypto, Gallia, Macedonia: cum tamen Aristoteles de animal. l. 8. c. 8. scribat in Ægypto minores esse lepores, quàm in Græcia. Aliam differentiam sumit à locis, quam inhabitant. Quosdam enim montes inhabitare scribit, & hos reliquis majores esse putat: alii

in agris

gris alii in paludibus habitant. Minores plerumq; incolunt insulas & in his turba major, quam in continente: quoniam ibi ut plurimum nec vulpes nec aquilæ, quarũ impetu ipsi cum catulis occiduntur. Varro loco citato hæc genera numerat. Primum Italicum primis pedibus humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulla, ventre albo, auribus longis. Alterum Gallicum ad Alpes idq; plurimum candidum. Tertium Hispanicum simile nostratibus ex parte quadam, sed humile, hos cuniculos vocant. Polyb: l. 14. tristo: animal esse tradit lepori simile quod κόνικλον vocant. Lepores esse de cuniculorum genere videtur existimasse quoq; Vegetius c. 24. l. 4. de re militari cum ait: Aliud genus oppugnationis est subterraneum atq; secretum; quod cuniculum vocant: à leporibus, qui cavernas sub terris fodiunt, ibiq; cōduntur. Scalig: E. 217. s. 5. Indi cuniculi sunt in Thracia ac Macedonia, qui juxta ac nostri sub terrâ agitant: leporino pilo, brevioribus auriculis, curto corpore, crasso, compacto: qui maximi gliris haud excedunt magnitudinem: caudâ longâ & ad Sciurinam quàm proximè accedente, contra quam Indi illi, quibus nulla est. Hos Hutias Indiæ Occidentalis populi vocant, ut Gomaras in historia scribit. Horum nusquam meminit Aristoteles, sed Plinius l. 8. c. 55. Hos δασύποδας plerumque appellatos à Græcis constat: quod tamen nomen non eam tantum animantem ostendit, sed leporem omnem. Alii λαγίδας vocant. nam λαγωοὺς passim lepores vocati notum est omnibus. Quare non defuerunt, qui cuniculũ in leporibus numerarẽt. Strabo. l. 3. quo loco de Balearibus agit insulis λεβηρίδας vocatos testatur: sed ab effectu lepores Georichi ę. id est, fossores nominatur. Non sunt indigenæ sed importato masculo & fæmella ab hoc principio tantum fuisse procreatum cuniculorũ, ut domos arboresq; subverterint, & Romanorum opem Baleares implorare coacti fuerint. Plin. l. 8. c. 55. Hermol. Barba. in coroll. in Diosc. lib. 2. c. 22. pestem ab iis inferri, omnibus terra nascentibus, quia morsu violent earum radices, scribit. Et Strabo huic malo adhibitas viverras remedium, vel ut ipse vocat feles Africos, quos è vicina Africa petebāt. Victorius var. lectio. l. 31. c. 20 procul intuentib⁹ parvus lepus esse videtur: propterea Polybius l. 14. histor.

Cuniculi.

lepori similem esse ait: cum autem in manus acceperis, multum sane discrepat, & externâ corporis facie, & inter mandendum gustatu. Athenæ. l. 9. addit. Hic licet minor sit lepore, fortior tamen: & animal semiferum: quærit enim antra sub terra & excavat terram sub montibus. Comes Natal. de venat. l. 2.

Crura tamen breviora, minus timet, & minus ille
Velox, antra colit, fessique foramina ruris.

Et Martial. l. 13. Epi. 59.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit faciles hostibus ille vias.



Ut Camillo ad Venios capiendos in Hetruria. Grapal. l. 1. c. 6. Mane & vesperi prorepit, & in vestibulo antri sedens circumspectat. Urgentibus canibus confestim penetrat in cavernas nec extruditur, nisi intromissis viverris, vel felibus agrestibus, quæ generi cuniculorum sunt infestæ. Franz. de anim. fol. 206. Plin. l. 8. c. 29. & 55. & Varro autores sunt in Hispania tantam esse copiam, ut non solum messem, sed & oppida effodiant. Quod nemini mirum esse debet, nam idem Plin. scribit à talpis in Thessalia, à ranis in Gallia, à locustis in Africa civitates fuisse eversas.

aversas. Fœtus horum, quos vel ab uberibus ablatos, vel ventre exectos, Romani in delitiis habuerunt, Latini laurices vocarũt' Plin. 8. c. 55. Freig. Phys. l. 33. Masculi interficiunt pullos, Gesn. de anim. Dasypodes omni mense pariunt & superfœtant sicut lepores. Hæc enim sola animalia superfœtant. Plin. l. 11. c. 64. Domestici cuniculi laneam lineámq; supellectilem dentibus absumunt. Scalig. E. 203. Ebusus cuniculos non gignit Plin. l. 3. c. 5. l. 11. c 58. In Ithaca lepores illati moriuntur, extremis quidem in littoribus: & in Ebuso cuniculi non sunt.

Chelidonii Lepores.

Est & leporum genus apud Athenæum l. 9. quos Chelidonios appellant. Fortassis ut Dalemcampius arbitratur, ab insulis Chelidoniis, quæ contra Taurum Asiæ montem sitæ sunt. Hi propter coloris aliquam similitudinem, ut Casaubonus censet l. 9. in Athen. c. 14. hirundinini dicti sunt. Nam & Athen. l. 14. ficus quoq; Chelidonias ita dictas innuit, à colore, quia sunt ἐρυθρομέλανες. Harum mentionem fecit Diphilus sive Calliades in ignorantia.

Quid nam hoc? cujus hic lepus? anne Chelidonius?
Cærulea quidem Mimarcys est.

Elymai lepores

Moschii lepores.

Id est, condimentum ex sanguine & intestinis leporis præparatum. Hermolaus Barba. Coroll. l. 2. c. 221. Pollux quosdam Elymæos vocat, vulpibus non ferè minores & nigricantes, corpore oblongo, albicante maculâ prope summam caudam longiorem. Rhodig. l. 14. c. 30. Gesner. de anim. vocat quosdam, à Moschi odore quem spirant, Moschios. Quorum spiritum tanta vi sentire canes memorat ut furere plane credantur. Rhodig. dicto loco.

CAPUT XI.

Color.

Color.

COlorem nullum cuniculus refugit, lepori pullus proprius Cardan. de varie. l. 7. c. 31. Sed & lepores colorem varium habent, nigrum, fuscum, flavum, rubicundum. Oppian. de venat. l. 3. Scaliger E. 217. f. 5. Proprius tamen est, quem Græci di-

cunt ἐπιπερκνὸν. περκνὸς olivæ species acerbæ, nigris maculis distinctæ. Et Aristoteles de anim. l. 9. c. 32. quartum aquilarum genus percnopterō appellatū dicit ab alarum notis. Rhodig. l. 14 c. 29. Mutant etiam pilos, cujus mutationis caussa varia à naturæ indagatoribus traditur. Aquis ab Aristotele l. 3 de anim. c. 12. multum tribuitur, quę si aliunde colorem à terra, sive metalli fomitibus conceperit, hunc ipsum in lanas postea, & cutem deponit: si alumē album, rubrica rubeum; sulphur melinum, subviridemq; facit: viridem calx, æs cæruleum, fuscum & nigrum. Potus & usus aquæ potabilis, generat pituitam indigestam, quæ cum per se sit pellucida; utpote aquea, si non concrescat, efficitur alba, tepida aqua ab externo cœlestique calore permista: vel ab interno, qui locis frigidis multus est merito antiperistaseos cum multo spiritu confusa ad extremas corporis partes delata, ab ambientis aëris frigore cogitur veluti in nivem, & inde in locis illis cutem, & quæ insunt in ea candicare facit. Ita constat nobis ratio cur albi lepores in Alpibus, quæ frigidissimæ sunt: itidem ex Lybia, quæ calidissima. Caussa igitur remota cōmunis, propria varia: sicut etiam in spumâ & nive: ibi enim sola permistio spiritus efficiebat albedinem, at in nive congelatio supervenit. Bonam: de alim. l. 2. c. 30. Jul. Alexand. de salubr. l. 12. c. 12. Frigoris vi fieri existimat, ut caloris naturalis retrocessione intropulsi frigoribus, externæ partis nutrimenti minimum sentiant, ejus pituitosioris ex quo candor pilis facile eo tempore nascentibus alimenti inopia, & pituitosi humoris, putrisq; frigiditate. Itaq; minus suavis tum caro, tanquam frigore nimio durata, abacto expressoque humore. Aristoteles. l. de color. ex humiditate albedinē provenire dixit: argumēto quod rosæ folia, & fructus punica initio alba sunt. Averroes in colliget. albedinem fieri dicit ex admistione aquearum partium cum terrestribus. Hincq; in Sarmatia Europæ. candidi lepores. Cardan. in Hyppo: de aëre, aquis & locis lect. 87. t. 7. Phantasia & imaginatio plurimum ad hoc faciunt, nam tenelli fætus his mirè afficiuntur. In locis ergo frigidissimis, ubi perpetuæ sunt nives ex continuo illarum aspectu nascuntur etiam animalia alba: vulpes, zebellini, ursi, lepores, aves, milvi, accipitres, aquilæ, cervi, perdices, coturnices, hirundines. Pausan. l. 8. in

Mutat pilos: & quibus de caussis. 1. Aquae.

II. Phantasia & imaginatio.

Arcad.

Arcad. scribit. Habet præterea, quod admirere, Cyllene mons merulas undiquaq; albas. Aquilas quas cycnias vocant, candore oloribus persimiles, ipse in Sipylo ad stagnum, quod Tantali dicitur conspexi. Apros certe & ex Thracia ursas albas vulgo privati homines: lepores albos inter altilia Libya habet: cervas albas Romæ cum admiratione aspexi. Scalig, E. 59. Etiam in Alpibus albos hyeme inveniri scribit lepores Plin. l. 9. 55. qui liquescente nive rubescunt. In Vallesia sunt lepores æstate cani, hyeme innivei. Münster. Cosm. l. 3. c. 50. Toto æstivo vernoque tempore in aquilonari plaga proprium colorem servans, post autumnum & primæ nivis casum villos fuscos mutant in albos. Olaus. l. 18. c. 8. Ortelius in Livonia. Verum enimvero imaginatione rei cujuspiam in ipso cõgressus tempore vim habere magnã, quotidiana experientia etiam in hominib. testatur. Sed hæc imaginationis vis multo in brutis major, quam in homine: quod ostendit factum Jacobi Genes. 30. v. 37. qui oves diverso colore respersas produxit. Et Romanorum factiones, qui Romæ equis certare solebant, ut similes aut diversos haberent equos, in admissione maris induere tunicas Venetas, sive thalassicas: aut etiam russatas, & aliqui varias utrique & mari & fœminæ: inde nascebatur pullus ejusdem coloris. Magna namque vis imaginationis est, & mirus apparatus in materiâ seminali per mollitiem ad accipiendas omnes commotiones. Plin. l. 8. c. 55. videtur addere victus rationem, sic enim scribit. Leporum plura sunt genera: in Alpibus candidi, quibus hybernis mensib. pro cibatu nivem credunt esse: certè liquescente ea rutilescunt annis omnibus. Cunctæ quoq; animantes quæ sive inbeclilitatis caussa, sive cæco naturæ vitio præcoci paucoq; victu sustinentur candidæ proveniunt. Ruell. de plant. l. 1. c. 17. l. B. Porta Physogno. l. 3. c. 18. Theoph. l. 3. cap. 27. de planta: caus. nigris infirmiora fragilioraq; alba sunt. Hinc albi equi & canes minus robusti habentur. Sed quid mirum lepores esse albos, cum Joan. Hugo. c. 4. navigationis suæ in Mosam bicquâ, gallinas esse nigras plumis, carne, & ossibus: easq; coctas mensisq; illatas, sub injucundo colore, sapidissimas esse. Pincier. l. 2. Ænig. 21. Scalig. E. 159. Lacus in Svecia non solum nigras continet aquas, sed etiam pisces alit concolores, quibus nihilo secius incolæ vescuntur.

III. Victus ratio.

IV. Imbecillitas.

CAPUT XII.

Villosissimus: Vestes.

Villosissimus.

Villosissimus animalium lepus, nam ut Plin. l. 11. c. 39. notat, & in buccis intus & in pedibus pilos habet. Hinc Trogus libidinosiores hominum hirtos quoq; colligit. Nec non & vestes leporino pilo facere tentatum est, tactu non perinde molli ut in cute, propter brevitatem pili dilabidas. Plin. l. 8. c. 55. Pili aliàs mollissimi quos Heliogabulus in lasciivioribus deliciis una cum perdicum plumulis sub latibus habuit Pier. Hiegl. l. 13. de lepore. Rhodig. antiq. lectio. l. 14. c. 29. Nec prætetire possum Ulpiani legem 70. Digest. l. 3. de legatis ubi §. 9. sic legitur. Lana legata: etiam leporinam lanam & anserinam & caprinam contineri. Potuit etiam fieri ut etiam ad telam pervenerit propter summam mollitiem & levitatem. Hinc Caspar Barthius 2. Amab. Stroph. 6. cecinit.

Vestes è pilis

Lana leporina.

PUELLA DELICATA
LEPUSCULI CAPILLO
LEVIORQUE LÆVIORQUE.

CAPUT XIII.

Aures & auditus.

Auditus acer.

Plutarch. in sympos. auditu leporem acerrimo præditum dixit. Festus auritum vocat à magnis auribus, vel ab audiendi facultate: excellit enim sensus acrimonia, & auditu acerrimo præditus est lepus. Virgil. 1. Georg.

Auritósq; sequi lepores, dum figere damas.

Aures longæ variæ ob caussas. 1.

Habet enim aures proportione reliqui corporis maximas omnium animalium; & flexibiles, quod necessarium fuit multas ob caussas. Primum propter oculorum aperturam, nam auribus oculos defendit apertos, qui nullo operculo sunt muniti ab infestatione cimicum & muscarum. Nam contra omne nocivum dedit natura remedium creaturæ, ut dicit Avicenna & B.

Ponta.

Pontanus de prop. anim. l. 18. c. 66. Præterea quemadmodũ Leonibus caudæ ad excitandas vires magno adjumento esse dicuntur: sic huic aures roboris caussa, quasi vexilla, & cursus incitamenta existunt. Fugiens eas ad tergum retorquet; sicq; ipsis tanquam stimulis torporem & ignavium, ne à currendo retardetur concitat. Ad id diverticulum, quo vult iter convertere, de auribus alterutram intorquet, atq; inflectit, eaq; quasi moderatrice cursum dirigit. Ælian. l. 13. c. 14. Metum etiam hac corporis parte dirigit, moderaturq; tanquam remis, quod in aliis animantibus caudâ plerumq; efficit. Rhod. l. 14. c. 29. Tandem quia hoc animal timidum, inerme, imbecille, & plurib. hostibus pda objectum, auditus excellentia, ut eminentes insidias ex longinquo sentiens sibi maturè & in tẽpore prospicere posset, exornavit natura. Porta Phythog. l. 3. c. 40. Maximéq; mobiles finxit, ut ex ppetuo motu melius possint imbibere sonos, & sibi cavere à periculis. Hinc Clariss. D. Rumelius in horto Poëtico Area 2.

Natura ut timido longas lepori addidit aures.
Eminus ut structas sentiat insidias:
Sic famam omnipotens sceleri DEUS addidit atro,
Eminus ut pœnam sentiat esse prope.

CAPUT XIV.

Visus.

LEPUS non, ut magna fissipedum pars, partum cæcum edit; de videndi excellentia non conveniunt autores. Plutarch. sensoriorum excellentiâ, & visus maximè præstare dixit; cui & Ælianus subscribere videtur, dum cibum capere noctu scripsit: Xenophon, videndi acie minime esse acutâ, probat sequẽtibus rationibus. Primum quia oculos habet exporrectos, palpebras præcisas, & quæ pupillis munimenta non præbent. Hinc visus hæbes, quia diffusus. Accedit quod oculos nõ claudat cum somnum capit, nec somno ejus palpebræ cadant, sed cum reliqua membra somnum capiunt, interea tamen oculi vident. Somnolenti quoque sunt, quæ res nihil advidendum prodest. Et

velocitas ad obtundendam aciem plurimum confert: quolibet enim oculos celerius intendit, quam quid sibi providerit. Tandem canum & hostium terrores providentiam auferunt. Hæc Xenoph. de venatione.

CAPUT XV.

Dormit apertis oculis.

Dormit apertis oculis.

PAlpebris clausis vigilat, apertis dormit & immotis, oculos etiam tenet immotos. Plin. l. 11. c. 37. Xenoph. de venat: dormiens frequenter movet, vigilans vero minus. & dū reliqua membra somnū capiunt interea oculi vident. Ælian. de anim. l. 13. c. 13. l. 2. c. 12. Multi propter timiditatem hoc fieri existimant. Oppian. l, 3. de venat: metuentes ferarum vim, hominumque crudele cor. Inde etiam homines dormientes apertis oculis, ut lepores, timidissimi habentur. Dorcas dormiens oculos apertos habet, & saxa & rupes altissimas inhabitat propter timiditatem, ut putant. Quidam etiam hominū, quod Græci κορυβαντιᾷν dicunt: quia Rheæ seu vestæ Sacerdotes, dum custodirent Jovem apertis oculis ipsis fuit dormiendum. Est autem κορυβαντία morbus à pupillis oculorum, quos κόρας appellāt dictus. de quo vide Scalig. castiga. in Catullum f. 33. & Turneb. adver. l. 13. c. 24. De lagophthalmo oculorum vide Celsum l. 7. c. 7. quando oculus excisa cute non tegitur & superior palpebra non descendit. Hermol. Barb. in Plin. Græci homines leporinos oculos habentes λαγωφθάλμους vocant. D. Ruml. in horto Poët. Area. 2.

Homines raro.

Dorcas quoque

κορυβαντία

Lagophthalmus.

Obdormit geminis oculis lepus omnis apertis,
In somnis vigilet Mens prece nixa DEO.

CAPUT XVI.

Cor maximum.

Cor magnū signum timiditatis.

BRuta existimantur animalia, quibus durum riget cor: audacia quibus parvum: pavida quibus prægrande est. Maximum autem est proportione muribus, lepori, asino, cervo, pan-

theræ, mustelis, hyenis, & omnibus timidis, aut propter metum maleficis. Plin: l. 11. c. 37. Aristoteles de part. animal: l. 3. c. 4 hanc addit caussam: quia calor in magno conceptaculo exolescit, sangvisq; frigidior fit. Quoniam coacta vis in angusto corde fortius erumpit, in latiore dissipatur. Bodin. theat. nat: l. 3. vide infra de timiditate. cap.

CAPUT XVII.

Non pingvescunt lepores.

QUædam animalia non pingvescunt ut lepus, perdix. Steriliora cuncta pinguia & in maribus & in fœminis. Plin. l. 11. cap. 32. & tamen idem l. 29. cap. 20. ut & Grapald: l. 1. c. 6. scribunt. Leporé obturatis auribus surdũ celerius pingvescere. Macrob: ex Varrone l. 3. de agricult: Saturnal. l. 3. c. 13. scribit: hoc quoq; nuper institutum, ut lepores saginarentur, cum exceptos è leporario quidam in caveis & loco clauso faciant pingves.

CAPUT XVIII.

Caro leporis cibus qualis.

RAsis. c. 16 de anim: Paulus, Psellus. Savanar. t. 2. c. 8. rub: 29. inter animalia atram bilem gignentia numerant. Avicẽ. lib. 2. F 2. cap. 145. carnem leporis calidam & siccam scribit senis autem sangvinem crassũ, & melancholicũ parare. Curio de conservan: valetud. c. 7. & Simon Sethi, corpus exsiccare, hepati & spleni obstructionem efficere, pulmoni nocere, vigiliâsq; facere volunt. Vairus de fascino l. 2. c. 10. leporem siccũ vocat. Pistor. conviv. 1. somnolentiã oriri exusu leporis scribit. Langius l. 1 E. 67. quia sangvinem melancholicum generat, ideo sangvinis bonitatem adjuvare non potest. Hipp: de diætis. l. 2. leporina caro sicca & adstringens lotium aliquantisper movet. Galen: l. 3. de simpl. alim. facult. c. 1. leporum caro sangvinem crassiorem gignit. Comment: de atten. victu, utilem in exsiccante victu, non autem attenuante, qa gignit sangvinem crassum l. 3. de loc: affect. c. 6. l. 5. de compos. med: adũ locos l. 3. de simpl.

Cibus melancholicus.

alim: facul. c. 1. magnam vim habet in melancholici sanguinis generatione l. de d. stol. contin. numerat inter malas carnes: sed hic lib. attribuitur non propriis Galeni. Syntax. med. Weck. l. 1. p. 3. caro leporis melancholicum sanguinem generat; difficile concoquitur: tristitiam adfert, paucum alimentum & malum præstat. Quæ omnia de seniotibus leporibus intelligenda sunt: juniorum enim alia ratio est. Nam Simon Sethi carnes leporis probè concoctas non malè nutrire ait. Isaacus de diætis de anim: part. pag. 4. pro pharmaco censet, licet sit siccus, & crassum sanguinem generans: est tamen melior juvenibus hircis & capris. Proinde convenit siccas habere nolentibus complexiones. Paul. l. 1. c. 84. leporina caro crassi succi est, sed minus quam ovilla & bubula. Quercetanus Diæti. l. 3. c. 4. Leporina caro satis boni alimenti: vividum & floridum faciei colorem conciliat: fœminis præsertim pallorem in facie tollit & nativũ restituit colorẽ. Optimi nutrimenti & facilis concoctionis, phlegma, absumit, & supervacaneam humiditatem ex venticulo deturbat, eumque roborat. Hinc Martial. l. 13. non malè canit,

Non adeo pravus.

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

& Galenus 3. de alimen. facultа. tradit, sanguinem leporinum omnium suavissimum semper magno in pretio habitum. carnem autem talem esse, qualis sanguis, ex quo tota constat. Mercur. l. 2. var. lectio. c. 7. Hinc Alexand. Severus Imperat. quotidiano leporum esu corporis venustatem aucupabatur, ut Lampridius testatur. Indeq; natum epigramma non illepidum, quamvis ad carminis regulas minus concinnum.

Pulchrum quod videtis esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago:
Venatus facit, & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem;

Ad quod ille pari licentia respondit.

Pulchrum quod putas esse vestrum regem.
Vulgari miserande de tabella,
Si verum putas esse, non irascor;
Tantum tu comedas velim lepusculos:
Ut fias animi malis repulsis.
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Et Martialis scite lusit cum Gellia.

Si quando leporem mittis mihi Gellia dicis:
Formosus septem, Marce diebus eris.
Si non derides, si verum lux mea, narras.
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Et quia formæ gratia ex probo sangvine magna ex parte proficiscitur, non mirum, animalia dulcem & delicatissimum sangvinem habentia, qualis leporum aliis omnibus bonitatis alimonia præstare. Galen. l. 3. de alim. Iul. Alexand. salub. l. 13. c. 11. leporis sanguinem reliquis omnibus præfert. Nempsius tenerum vocavit leporem. Athenæ: l. 9. ingeniosus variorum obsoniorum enarrator scribit. Carnes leporinas assas, calentes prorsus nihil unctas & subcruentas ad huc optimas esse. Plin. l. 8. c. 55. de leporibus & cuniculis hoc habet: Fætus ventre exectos, vel uberibus ablatos, non repurgatis interraneis gratissimo in cibatu habentur: laurices vocant. Hinc Horatius.

l. 2. S. 8. *Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos.*
l. 2. S. 4. *Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.*

Alceus in Callisto, cum coriandro & sale conspersit. Aretæus. l. 7. c. 4. Numerat inter carnes concoctu faciles lepores. Quoniam enim sanguis suavissimus, ejus sine dubio ideam refert caro ex quo tota constat. Heurn: Metho. l. 2. c. 12. Galen: l. 3. de alim: facul: Leporibus sangvis suavissimus, multiq; ipsum cum jecore solent elixare, quidam cum aliis visceribus. Condimentum ex sangvine & intestinis leporis præparatum, vide apud Athen. l. 9. Aëtius. l. 1. s. 2. c. 121. scribit sangvinem leporis melioris succi quam bubula & ovilla caro. Non potest enim coagulari quia tenuis. Galen. de respira: Sed non salienda, quia natura sicca salis conspersu arefit, & cibo inepta est. l. 3. de alim facul: circa finem. Iul. Alexand: l. 12. c. 12. inquit: cursu valet lepus qui armos lumbosq; exerceat maximè universus ingruit partibus illis ac circum spinam omnem musculis in cursu saltuq; labor, nam pedum pauca caro, & ea fibrosa ut bene exercita partes solutiores, sapidioresq; fiant neq; concoqui faciliores. & crassum minus, minusque melancholicum sangvinem gignant. Quo etiam illud Aristotelis l. 3. c. 10. Ethicor. referri potest. οὐδὲ γὰρ ταῖς ὀσμαῖς τῶν λαγωῶν αἱ κύνες χαίρουσιν, ἀλλὰ τῇ βρώσει. Neque

Conciliatio. enim canes leporum delectantur odore, sed pastu. Ut ergo hæc controversia tollatur, Juniores eligendæ, quo naturalis siccitas ab ætate temperetur: pinguiores etiam cæteris præferendi. Syntax. Weck. l. 1. p. 3. de carnibus. Eligendi juvenes & adolescentes & per venationem capti, præstant juvamentum his, qui sunt superati à pinguedine, non sunt difficilis digestionis: & licet sapidiores sint assati, saniores tamen elixi. Savanor. r. 2. c. 8. rub. 29. Removetur nocumentum si cum bonis speciebus condiantur.

CAPUT XIX.

An cibus eroticus & amatorius.

Dubitatur. CHalderinus com. in Martial. l. 5. Epig. 30. Mercurial. l. 1. de decoratio: c. 9. simpliciter hoc affirmant, fuisse vulgarem opinionem. Quidam etiam caussas inquirere ausi sunt. Erasm. Chil. 2. C. 1. Ada. 15 superstitionem ponit. C. Calcagninus l. 1. Ep. quæst. Thomæ Calcagnino Nepoti scribens: religionem & omen. Rhodigin. l. 14. c. 29. caussam ex nominis etymologia quærit Plin. l. 28 c. 19. Et vulgi opinionem fuisse & jocum, verè etiam contingere consuevisse, eo quod illius aliqua exstet ratio, asseruit. Sed non sine summa dubitatione, cum bilem gignat atram.

Affirmatur. I. Sed tamen Julius Alexand. cap. ultim. lib. 12. salubrium, id non in universum negat, dum inquit. Possit fortasse pallor inde ex pituita corrigi, consumpto humore, siccandi vi. Etenim corporis habitudinem siccare cupientibus, humiditate nimiâ fluxam, non desunt, qui leporinæ usum carnis commendent. Sed quis se speret leporis vel integri unius usu formosum reddi posse eo pacto? frequentiori id usu & temporis mora sperandum: Idem judicat idem autor de cuniculorum carnibus.

II. Potest etiam amatorius cibus vocari ob prolificam ejus vim, de qua alibi. Talenton: recond. ter. l. 3. c. 2.

III. Forma gratia ex probo sanguine nascitur: quib⁹ autem sanguis corruptus, ut in suppressione mensium, epatis & splenis obstructione cachexia laborantibus, omnes decolores & deformes sunt: Si ergo formosum hominem reddit leporis esus, probum quoq; sanguinem, ut generet, oportet. Quod Galenus quibusdam in locis statuere vide-

videtur. l. 3. de alim. facult. c. 17. Sanguis ad coquendum est difficilis, præcipuè crassus & melancholicus, qualis est bubulus. Leporinus autem ut suavissimus celebratur. c. 22. Gallinarum & columbarum sanguine nonnulli vescuntur, qui suum sanguine haud quaquã est inferior, neq; suavitate neq; cõcoctionis facilitate, plurimum tamen relinquitur à leporino. Ex sanguine autẽ laudabili, laudabilis quoq; caro gignitur. Plurimum etiam refert suaves assumere cibos: suavitas enim faciliorem digestionem adfert. Hinc Hipp. l. 2. A. 38. Suaviorem paulo deteriorem, melioribus sed minus suavibus anteponit. Non ergo ridendus Martialis de gloria leporinæ carnis. Nam Mercur. l. 2. varia: lectio: c. 7. ex Galen. de facult. addit rationem: leporem omnium suavissimum habitum in precio: carnem enim talem esse, qualis sanguis. Cum autem leporis sanguis suavissimus sit, necesse est, carnem eandem obtinere suavitatem. Galen. l. 3. de alim. facult. c. 1. 13. 17. Qui verò volunt ex verbis potius, quam ex re hanc opinionẽ natam, satis ingeniosè vidẽtur rem tractasse. Pinsier. l. 2. Ænig. 21.

CAPUT XX.

Judæi abstinent à lepore.

RHod. l. 14. c. 31. ex Jul. Cæs. l. 5. de bello Gall. scribit. Britãni leporem, gallinã & anserem gustare nefas esse putãt: hæc tamen alunt, animi voluptatisq; caussa. Vigenereus in com. in Cæs. de bello gallico, hanc addit caussam. Anglos abstinuisse ab esu galli gallinacei in honorem solis, quod ea avis maximam cum sole conjunctionem habeat: leporis in honorem terræ, quia maximè terrestre sit animal: anseris in honorẽ aquæ, quod sit volucris aquatica. Sed de Judæis res manifesta est. Nam Levit. c. 11. v. 6. scriptum est. Et lepus ruminat, sed bisulcus nõ est hic nobis immundus esto: quod repetitur Deut. c. 14. v. 7. Plutarch. convi. quæst. l. 4. quæst. 5. ridiculam adfert rationem, dicens: abstinere illos à lepore, quod abhorreant ab eo animali ut abominabili, & immundo. Nec injuria, inquit, Lamprias occurrens. Cæterum à lepore temperant: quod asini, quem maximâ & occulta religione colunt, quod eis aquæ fontem ostenderit, sit hoc animal simillimum: lepus enim mirificã esse vide-

Britanni à lepore abstinuerunt.

Judæi non vescuntur lepore.

tur

tur corporis mole & agilitate. Nam color, aures oculi ſupplices triſtesq; mire aſinum referunt ut nullum ne parvum quidem magna ſpecie usq; adeo ſit germanum. Niſi ſane ſimilitudines
III. Ægyptiorum ſectantur, celeritatemq; hujus animantis & ſenſuũ excellentiam putant divinam. Oculus enim ejus eſt indefatigabilis, & ut patentibus dormiat oculis. Sed & auditus acrimoniâ præcellere videtur: quam Ægyptii admirantes, in ſacris literis cum auditum ſignificare volunt lepores pingunt. Et
IV. quia gens Judaica ſancta eſſe debuit, forſan & libido hujus animantis eſum prohibuit propterea veneri fuit dicatus. Et priapum aurito parente, id eſt, lepore genitum fingunt Poëtę. & Ovid. 5. Faſtor. Floræ ſalaci caprearum potiſſimum, leporúmque venatúm tribuit. Palma: inter ſalaciſſima animalia numerat columbam, páſſerem leporem. Bodin. method. hiſtor. c. 5. & l. 5. de repub. c. 1. atra bilis ac potiſſimum abradentis copiæ hanc adſcribit, quæ quod ſpumoſa ſit, libidinem proritare ſoleat. Hinc etiam Venerem fingi ſpumâ maris natam. Atq; idem ſenſiſſe videtur Ariſtoteles in problem. ubi cauſſas inquirit, cur qui atrâ bile laborant, cæteris ſint ſalaciores? quod videre eſt in lepore, qui præ omnium animantium genere melancholico ſucco maximè abundat.

CAPUT XXI.

Lac.

CRaſſius lac canum, quam cæterorum animalium eſt, excepto ſcrofæ & leporis. Ariſtot. l. 6. de anim. c. 20. & 33. Cardan. in Hipp. de arte, aquis & locis l. 7. lect. 85. t. 4.

CAPUT XXII.

Coagulum.

ARiſtoteles l. 3. de part. anim. c. 15. reddens cauſſam, ꝓpter quam lepus coagulum habeat, in hunc modum ſcribit. Lepori coagulũ ſit, quoniam herbam coaguli effectricem paſcatur: talis enim humor lac in vẽtriculo infantum ſtringit. Mercur var.
lectio.

lectio: l. 5. c. 12. Lepori coagulum optimum ad cogendum lac: quia lactuosis herbis vescitur, ut lactucâ sylvestri. Porta Phylogno: l. 1. c. 7.

CAPUT XXIII.

Sangvis.

CErvorum perinde, ut leporum sangvis solet spissari, non coitu firmiore, ut cæterorum, sed fluido, quale lac est, quod sine coagulo sponte concrevit. Aristot: de anim. l. 3. c. 6. Estq; svavissimus ut vult Galen: l. 3. de alim: facul: ideoq; magno in pretio apud veteres habitus. Cum jecore elixatur quidem etiam induunt aliis visceribus. Rubeaq: in Paulum Ægin: de tuenda sanita. c. 85.

CAPUT XXIIII.

Cauda.

CAudam habet ad currendum incommodam: neque enim propter brevitatem idonea, quæ corpus regat, sed hoc utraq; facit aure. Xenoph. de venat.

CAPUT XXV.

Sexus.

ARchesilaus, cui subscribunt Philostratus, Plutarchus, Varro, utramq; vim lepori traditam, affirmant. Democritus, Pictor naturaliter per annos sexum mutare, ut hyenam putant, quibus accedunt Ælianus, Septim. Florens, Tertullianus, Langius etiam cervos vult naturam alterare. Aristoteles pernegat. quod & reliquorum animantium natura communis verum esse probat. cui etiam Nyphus & Bodinus subscribunt. Hoc tamē experientiâ teste constat, sæpius in Leporum genere, quam in ullis animalibus reperiri Hermaphroditos. Hinc Hebræi leporem fœminino tantū usurpant genere, quia putarunt illum sexū præpollere. Sed hermophroditæ nō ea fœcunditate, qua fœminæ. Mares autem ut multi falso putant, nunquā uterum gestant.

Lepus utrumq; sexum.

Mutat sexum.

Negatur utrumq;.

Hermaphroditi plurimi inter lepores.

Planta mutant sexum

De hominibus vero falsum.

Ut enim per naturam fieri non potest, ut fœmina sine maris semine concipiat, ita mas nunquam sine matrice. Ælian: l. 13. c. 12. Plantas mutari nullum dubium est: ut populus, pinus, ocymum triticum, sisymbrium. ervum: brassica, sorbi, & aliæ plures. Sed leporé mutare sexũ omni caret ratione. Et quod magni autores scribunt fæminas in mares mutatas, fide quoq; caret. Licet enim quidam putent, nymphas in fœminis cristis gallorum similes ad ipsum uteri os carnosas nonnunquam augeri, ut alieni sexus partem referant. Alii vero opinantur ad pudendi alas musculosã carnem sic excrescere posse, ut si quocunq; modo fricetur instar colis erigatur: itaq; propter hoc medici excogitarunt nymphotomiam. Non desunt etiam qui dicant, hoc totum exuteri prolapsione fieri. Sed omnia hęc apparenter tantũ, non vere contingunt. Mutatio enim sexus absolutè fieri non potest ex ordine naturæ, præsertim viri in fœminã nisi caussa violenta & convulsione præcedente. Quomodo enim partes efformatæ & calore cõsolidatæ, recrudescere & trahi possunt. Bonam: de alim: l. 5. c. 13. In quolibet animalium genere sexus est distinctus, semperq; distinctus manet, nec unum, & idem individuum modo mas est, modo fæmina.

CAPUT XXVI.

Fœcunditas & lascivia.

Fæcunditas.

LEpus adeo πολύγονον τὸ ζῶον fæcundum animal, ut cum modo peperit nunc prægnans fit. Xenoph. de venat: Et dum utero fert, superfætat, aliumque fætum nudum ventre gestat, alium jam vestitũ, alium in utero tantum inchoatum dum alios jam editos educat. Athen: l. 9. ex. 3. Herodo: Plutarch: de non fænerand: lepores ferunt parere simul, & lactare, & super fætare. Quod autem Plin: l. 8. c. 55. scribit præter dasypodem solum leporem superfætare, falsum est: constat enim equas & mulieres quoque superfætare. Plin: l. 10. c. 63. Dasypodes omni mense pariunt & superfætant sicut lepores, à partu enim statim implentur. Ælian: l. 13 c. 12 scribit, se à viro perito & mendatiis alieno, accepisse, in uno lepusculos tres repertos fuisse. Cardan: de variera: l. 7. c. 31. scribit cuniculos adeo fæcundos esse, ut usque ad octonos in domo sua pepe-

terint & educarint. Cuniculorum tanta est fœcūditas, ut ex uno cōjugio intra vertentis anni curriculū septuagesima proles possit existere. Sphinx Philoso. cap. 9. Singulis mensibus generat, sed fœtus non edit universos: sed interpositis diebus, quot res tulerit peragant partitionem. Habet fœmina lac priusquam parit, & à partu continuo repetit coitum, & lactens adhuc concipit fœtum. Aristoteles. l. 5. c. 9. de histor. anim. Oppian. l. 3. de venat. Universæ venationis ὀπώραν, id est, autumnitatem vocat leporē. Quemadmodum enim in anno autumnus omnis generis frugibus abundat; ita lepus inter feras. quo sensu ὀψοδαίδαλος vocatur apud Athenæum. Experti sunt fœcunditatē in Hispani, quorum oppidum quoddā à leporibus subversum est, teste Varrone quem adducit Plinius lib. 8. cap. 29. Experti Gymnesiarum insularum incolæ, de quarum legatione ad Augustum Imperator. qua auxilium militare contra lepores, à P. R. petivere. Strabo. lib. 3. Plin. lib. 8. cap. 55. Ab Herodoto lib. 3. additur caussa fœcunditatis: quia omnium præda est, ferarum, avium, hominum, ideo tantopere fœcundum esse, ac solum ex omnibus brutis animalibus super fœtare. Accedit quod quæ timida sunt animo, & esculenta, ea omnia fœcunda fecit natura, ne assiduo esu depereant. Camerar. subcis. oper. lib. 1. cap. 22. Plutarch. de non fænerando. Aristoteles de genera. animal. lib. 4. cap. 5. Problem. 1. l. 10. Ad lasciviam illius animalis notandam facit, quod veteres Priapum lepore genitum fabulati sunt, qua de re sunt hi versus Afranii ex persona Priapi, quos citat Macrob. lib. 6. Satur. cap. 5.

Incommodā fœcūditatis.

Caussa fœcunditatis.

Lascivia.

——— nam quod vulgo prædicant
Aurito me parente natum: non ita est.

Ubi Joan. Isaacus Pontanus in notis, quod inquit, aurito parēte, id est, lepore illum genitum divum prædicabant, nō puto temerarium. Petron. At illa gaudio exultans, vides, inquit, Chrysis mea vides. quod aliis leporem excitavi. Quid velit facilè capitur, & rectè adaptatur illud Maronis.

Credula si fueris, aliâ tua gaudia carpent,
Et lepus hic aliis exagitatus erit.

Nec abludit, quod in Fastis l. 3. Ovid. ubi salacem Deam Floram vocat, & cur ei caprearum potissimū, leporumq; venatus cesserit, scribit.

Cur tibi pro Lybicis clauduntur rete leanis
Imbelles caprea, sollicitusque lepus.

Oppian. l. 3. venat. Nunquam respuunt mariti petulcam salacitatem. Nunquam fœmina impudens obliviscitur libidinem, sed perficit quæcunque animus jubet, ne quidem in ipsis partus doloribus recusans venerem.

CAPUT XXVII.

Coitus.

Coitus. QUæ retro urinam mittunt, aversa coeunt, ut leones, lynces lepores. Aristoteles de anim. l. 5. c. 2. l. 6. c. 33. retro enim iis genitale membrum à natura datum est.

CAPUT XXVIII.

Partus.

Partus. LEpus uterum ferre potest quocunq; tempore & copiosos generat fætus, quos non universos simul edit, sed interpositis diebus: lac ante partum habet, post partum statim coite & incipere potest. Nota quod catuli leporis non sunt cæci, ut ursæ. Hipp. de genera: anim. l. 6. c. 33. ex Aristotele.

CAPUT XXIX.

Apricatio.

Apricatio. HYeme apricis locis cubilia informat; frigus enim declinat. χεῦμα δὲ ἐχθρῶς ἔλει. Ælian. l. 13. c. 13. ppterea radiis solarib. se subjicit: calorem enim vel maximè amat, & frigus quantum potest declinat. Ob id æstate alta & mõtosa loca, umbram quærens eligit. Et quia ut ab æstu vindicetur, & caloris propulset incommoda solet subramis Sonchi decumbere & sępenumero stabulari. Hęc herba leporis palatium à nonnullis dicitur. Ruell. de stirp. l. 2. c. 36. ab Apulejo lactuca leporina. Procumbit si frigus fuerit in apricis, si æstus in umbrosis; si ver & autumnus in clemẽtioribus locis. Cum terra pullulat, rura magis quã juga tenet Xenoph. de venat. Nivali tempore sunt leporib. cubilia melanchema quæ vocantur. Sunt autem cavitates, in quibus collique-

facta

facta est nix ducta appellatione à nigredinis argumento. Quoniam operimento nivium agris albicantibus, ea portio plane nigrescat. Rhodig: antiq: lectio. l. 14. c. 19. Sed vivunt lepores in alpib⁹ quæ frigidissimæ: item in Lybia quæ calidissima. Bonam. de alim. l. 2. c. 30. D. Rhumelius in horto poëtico Arca. 4.

Vt lepores sulcis umbrosa cubilia ponunt
Agrorum, rigidum cum ferit arva gelu.
At flavis surgit cum spicea messis apricis
Vitifero timidi vivere colle solent.
Sic in agris vivunt per multi tempore pacis
Quis Belli figunt tempore in urbe lares.

CAPUT XXX.

Cubile.

CONsuetam sedē omnibus locis præfert, & ex eo loco, in quo ortum accepit suum non facilè discedit, neque non parum sæpè capitur, quod assuetū cubile relinquere non potest. Ælian. l. 13. cap. 13. Franz. de anim: f. 769. Dum pabula quærit semper eadem viâ exit & redit. Egrediens & ingrediens sua conturbat vestigia, ne à struentibus sibi insidias appareant. Ælian. l. 6. c. 27. Exultantes ad lunam lepores inter se colludunt, & vestigia longe dissipantes dirimunt. Xenoph. de venat.

Locum patrium amat.

CAPUT XXXI.

Procubitus.

PRocumbit fœmine sub ilibus posito, cruribus anterioribus ut plurimum junctis atq; porrectis, mento prioribus pedib⁹ subnixo, auribus super utroq; humero demissis, post hinc molliora subter tegit. Xenoph. de venat.

Procubitus.

CAPUT XXXII.

Victus.

VIvit solus lepus ex omnibus animalibus, quæ fissos pedes habent, tantum gramine & herbis. Gesn. de anim. per diem subsistit, noctu egreditur ad pastum: & pabulum longiusq; inquirit, sive ꝙ peregrini cibi desiderio tenetur; sive ut se exerceat, & pedum celeritatem vel noctu firmet, Ælian. lib. 13. cap. 13.

Herbis tantum pascitur.

Præ reliquis autem herbis delectatur trifolio, malva, rapis, brassica. Sonchus autem à quibusdam leporis palatium dicitur: q; hoc animal, ut ab æstu vindicetur, & caloris propulset incōmoda, soleat sub ramis ejus decumbere & sæpenumero stabulari. Et hinc forsan lactuca leporaria ab Apulejo nominatur. Ruell, l. 2. cap. 123. Est & herbæ species lagopus dicta, quæ gerit spicas molles, lanuginosas leporis pedibus similes: huic à similitudine sic dicta. λαγὼς enim lepus, πὸυς pes est. Dodon: in histor: frum. cap. 95. nascitur in segetibus ubique. Differt à Caryophillata contra quam Matthiol. Sylvaticus sensit. Utrum Geum. à Plin. l. 26. c. 7. descriptum, sit, dubitatur. Febricitantibus cum aquâ datur: alligatur contra inguinum inflammationem. Dioscor. l. 4. cap. 17. Cæsalp. de plantis l. 6. c. 19. Radix in usu est contra pestilentes morbos, & pectoris mala: hinc Germani ipsam Benedict Wurtzel nominant: quod inter alias herbas benedicti & divini effectus sit. Multi ob odoris suavitatem & aromaticam facultatem charyophillatam appellant. Humelp. in Apul. c. 61. Apul. c. 113. autor est, si dormienti supponatur, ut non sciat, pellere febrem. Hippoc. lagopyron nominat, quasi leporis triticum alii cuminū leporis: Galen. leporariam. Ruell. l. 3. c. 85. Fuchs. c. 189. H. Bock p. 1 c. 88. M. Virgil. in Dioscor. l. 4. c. 19. Grolla. Barb. l. 4. c. 627. Matthiol. in Diosc. l. 4. c. 7. Cæsal. de plan. l. 6. c. 19. Porta Phytog. l. 1. c. 13. Hoc tamen testari possum, leporem D. Præfecti Rockenbachii cujus mentio inf. c. 38. fit, etiam de cibis ab igne coctis & mensæ illatis portionem sumpsisse. Ita instituto quodā natura interdum mutatur, & vim sibi inferri patitur.

CAPUT XXXIII.


Ruminatio.

An ruminet lepus.

ANimalia quæ habent unum ventrem, ac utrinque dentes minimè ruminant: in Levitico tamen ruminare leporem & cuniculum, scriptum est. Quare præstabit animalia ruminantia cuncta statuere, quæ coagulū, dum lactant, habent. Cur vero lepus & cuniculus ruminent: & unum solū ventrē habeant, opinatur Mercur. var. lect. l. 5. c. 15. rationē esse, quoniam cum parva sint animalia, plures ventres habere non potuerunt. Quia vero vētrem nequaquā crassum, vel tenuem & pinguedinis expertem habēt,

habẽt, ideo cibum alioqui mollem nõ facilè ſuſtinent, præſertim quando multus ſumitur, nec dentibus benè p̃paratur, ſed ſtatim ob timorẽ deglutitur: ob ꝙ ventriculus oneratus, cibum illum remittit in os: ubi rurſus catenus p̃paratur, quatenus à vẽtriculo

LAGOPUS



facilè cõfici queat. Imo ut in diſſectionib. videmus, cum natura lepori & cuniculo ventriculũ gracilẽ, ac tenuiſſimis membranis cuteq; tectũ dediſſet, neq; quatuor ventres dare potuiſſet, ut reliqua ratione hæc cõpenſaret, p̃ter ruminationẽ duo fecit: primo inte-

intestina gracilia iis pro ventriculo uno paravit: de inde cæcum intestinum quod in aliis parvum effecerat, in his amplissimum atq; capacissimum omnium effecit, quo esset tanquã postremus quidem ventriculus, ubi absolveretur chylus, siquidem hujusmodi intestinum semper materiâ chylosâ plenum invenitur.

CAPUT XXXIV.

Æraris inditium.

Ætas. ANNOS indicant foramina quædam: nam quot sunt illis corporis cavernæ ad excrementa exoneranda, totidem annos ætatis agit, ut scribit Archelaus, Varro l. 3. c. 12. Plin: l. 8. c. 55 Sed hoc veritatis limites ex cedere videtur. Comes enim Natal. de venat. l. 2. ——— *decemq;*

Annorum spatii conclusa est limite vita.

CAPUT XXXV.

Hostes.

Hostes varii. HAbet lepus hostes varios, venatores, vulpes, canes, corvos, aquilas, vultures. Ælian. l. 13. c. 11. Neque à venaticis modo insidiis timet lepus, verum etiam vulpium incursiones perhorrescit, nec minus avium impetus extimescit, inprimis quidem corvorum & aquilarum voces multo maximè metuit, atq; horret. Et sane quidẽ cũ his avibus nullâ pace jungitur sed sese abstrudit in dumeta, in aliave fruteta aut cespites aut cum necessitate urgetur, in quod vis aliud latibulũ se occultat. Comes Natal: dicto loco: *Retibus & canibus leporem timidissima turba,*
Capta perit, venantur aves.

Virgil. l. 9. Æneid.

Aquila. *Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cygnum*
Sustulit alta petens, pedibus Jovis armiger uncis.

Xenoph: Pæd. Cyri. l. 2. Eunti adversus Armeniam in primo agro exurgi lepus, aquila autem volans dextra leporẽ despiciens fugientẽ & irruit & percussit illum, extulitq; correptum, eoq; ablato in collum proximum pro libidine utebatur præda. Idem de venat. Ab aquilis quoties edita & aperta loca superarit, quantisper anniculi sunt, rapiuntur. nam majores in cursu canum vi auferũtur.

Vulpes. Lepores interdum à vulpibus nõ tantũ cursu, sed etiam magis arte comprehendũtur: captiosè enim circumvenire & inducere vulpes ppè novit. Æliã. l. 13. c. 11. Hom. Illad. 5. Illa

Illa sc. aquila, etiam sublimè volans cœlóq; propinquans,
Velocem pedibus leporem videt eminus, atque
Arripit.

Quin etiam in littore Siculo cum lepus canum venaticorum vim evasisset, à cane marino captus est. Est enim maris voracissima belua: ex quo illud Martialis. *Canis Marinus.*

In me omnis terraq; aviumq; mariśq; rapina est,
Forsitan & cœli, si canis astra tenet.

Ex Anthologiæ, l. 1. εἰ ζῶα. Γερμανικοῦ Καίσαρος.

Οὔρεος ἐξ ὑπάτοιο λαγὼς πέσεν ἔς ποτε βένθος
ἐκ περιφυγεῖν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός.
Ἀλλ' οὐδ' ὡς ἤλυξε κακὸν μόρον. αὐτίκα γὰρ μιν.
εἰνάλιος μάρψας πνεύματος ὠρφάνισεν.
ἐκ πυρός, ὡς αἶνος πέσες ἐς φλόγας: ἦ ῥά σε δαίμων
κὴν ἁλὶ κὴν χέρσῳ θρέψε κύνεσσι βορὴν.

D. Cunradus Rumelius ita vertit.

Monte lepus summo cecidit mare quando profundum
Aufugisse putans dente secante canem.
Sed non effugit fatum dirum, atq; subinde
Æquoris hunc rapuit vento agitante canis.
Ex igne (ut verbum) cecidisti in flammea, dæmon
Te fecit ponto & rure cani esse cibum.

τοῦ αὐτοῦ.

ἐκ κυνὸς εἷλε κύων με. τί τὸ ξένον εἰς ἐμὲ θῆρες.
ὑγροὶ καὶ πεζοὶ θυμὸν ἔχουσιν ἕνα.
αἰθέρα λοιπὸν ἔχοιτε λάγοι βατόν. ἀλλὰ φοβοῦμαι
οὐρανὲ καὶ σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα.

Doct. Rumel ita vertit.

A cane me rapuit canis, ecquid barbarum? ut in me
Rure feræ, atque fretis unum habeant animum.
Æther est reliquis lepori altus ab hocque pavesco.
Nam quoque cœli fers Astriferum ipse canem.

Tiberii tale est.

Δίκτυον ἐκθρώσκοντα πολύπλοον ἄρτι λαγωὸν
σεῦε κύων θερμοῖς ἴχνεσιν ὠκυπόδην.
Τρηχὺν δ' ἐκνεύσας ταχινῶς πάγον, ἐς βαθὺ πόντου
ἧλατ' ἀλισκάζων κῦμα παρακτίδιον.

εἰνάλιος· τὸν δ' αἶψα κύων βρυχηδὸν ὀδοῦσι.
μάρψε. κέσι τλήμων ἔω ἄρ' ὀφειλόμενος.

Geoig Mundius ita vertit.

Sollicitum leporem effugientem retia nuper
Invasit pernix adpetiitque canis.
Montibus ast lectis petiit miser ille salutem,
Et se in littoreas præcipitavit aquas:
Quem timidum actutum cepit canis ecce marinus:
Sic miser heu canibus fit tamen ille cibus.

Viverra. Bodin. thea: nat. l. 3. Viverra ex mustelarum genere ad decipiendum leporem ludit tam diu cum ipso, donec collo eum depræhendat, & interficiat: nec dimittit etiam currentem, donec deficiat, postea vorat ipsum. Gesn. de animal.

CAPUT XXXVII.

A quibus timeatur.

LEo non invadit leporem ut docet Martialis. l. 1. E. 23.

Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris:
Ad quem confugias, ora leonis habes.

Epig. 52. *Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.*

Eodem. *Intra ampla licet torvi lepus ora leonis.*
Esse tamen vacuo se leo dente putat.

Epig. 61. *Quid nunc sæva fugis placidi lepus ora leonis?*
Frangere tam parvas non didicere feras.

Cervus etiam timidissimus non audet, cum lepore congredi, ut Opian. de venat: l. 2. οὐδ' αὐτῆς δειλοῖς λασιο κνήμοισι λαγωοῖς. Neque cum ipsis timidis & crura hirsutis leporibus.

CAPUT XXXVII.

Venatio & Captura.

LEpus capitur aut δρομαλὸς ἢ δρομαῖος in cursu: aut εὐναῖος in lustro sive cubili circumventus im Läger vnd Lauff. H. Junius de animal: Facilius ascendit montem quam descendit propter posteriores pedes longiores. Ideoq; difficilius capitur contra montem quam contra vallem. Mane venatio instituenda, antequam vestigia evanescant. Virgil. 3. Geor.

Et ca-

Et canibus leporem, canibus venabere damas.

Qui in planitie & arbustis hæreant facilè capiuntur: non solum enim propter pinguedinem ad currendũ inepti, sed quia in umbrosis locis habitarũt à clarâ diei luce excæcantur. Gesn. de anim. Moris veteribus fuit, ut tenellos lepores studiosi venatores dimitterent, deæ captantes gratiam. Quod superstitionis esse, nemo addubitarit. Sicut & illud, si feram se in flumen præcipitare animadvertissent, ne legis prævaricatores fierent, universam solvere venationem consuevisse. Locum vero in quo lepores venarentur λαγωβολεῖον Græci vocant. Rhodig: antiq; lect. l. 14. c. 31. Indi hoc modo venantur. Canibus ad venationem non egent, sed captos aquilarum, corvorum & milvorum pullos alũt, & ad venatum instituunt: nempe leporem mansuetum & vulpem cicurem carne appensa ad cursum dimittũt: & mox immittunt aves carnem eis quam appetunt ademturas. Illæ igitur quanta possunt celeritate & impetu vel hanc vel illum consecutæ, carnem sui laboris præmium & escam desideratam sibi auferunt. Sic institutas ad prædam aves, deinceps in montanos lepores & vulpes feras emittunt: quos illæ itidem spe solitæ escæ persequũtur, & mox captos dominis adferunt, ut prodit Ctesias, loco autem carnis prius appensæ viscera captorum eis in cibum permittuntur. Hinc aquila à Plinio l. 10. c. 3. leporaria quam Aristoteles λαγωφόνον appellat nominatur. Joseph. Scaliger in Cirni ad illa verba: in terris Haliæetus ales ut esset, ait, plerique ex nobilitate Gallica etiam falcones ad leporis capturam instituunt. Quod sane genus aucupii mihi videtur veteribus satis leviter notũ, hodie vero apud nostram nobilitatem ad summũ gradum perfectionis pervenisse. Addit deinde testimon: Aristotelis ex histor. anim: quo tanquam novum id in Barbaris ipse miratur. Est autem hæc venatio jucunda. est enim adeo gratiosum animal lepus, ut nemo sit, quisi eum videat, dum vestigatur, dum invenitur, dum currit, dum capitur, quicquid amarit, non obliviscatur Xenoph: de venat: Hinc lepor non solum pro voluptatibus ac delitiis, sed etiam ꝓ liberalibus artibus, & sermonis seu orationis puritate & elegantia à Lucretio ponitur. Catullus suum libellum lepidum, id est, expolitum & cultum vocat. Gifan: in Lucretium.

Indorum venatio.

Iucunditas hujus venationis.

CAPUT XXXVIII.

Fuga & cursus.

Fuga ratio & cursus.

LEpus cursu, cuniculi saltu fugam accelerant Carda: de varin. l. 7. c. 31. Lepus intelligens se ad necem peti pernitiosissimo cursu fugit, adeo ut non raro deficiat, medioq; in cursu exanimetur. Freig: Phys. l. 34. Et propter metum se ipsum conjicit in periculum. Inventi enim ubi agitantur venatori faciunt indicium niduli sui, & sicut sorex, suo inditio se produnt. Flumina tranant, viam flectunt, modo cavernas subeunt ac penetrant. Xenoph. de venat: Quod si canes præsenserint, sistunt pedem, & residentes seipsos erigunt, & canum, sicubi prope est, clamorem strepitumq; captant & unde audierint avertuntur. Idem. De monte descendens nõ æqualiter continuat cursum, sed oblique circuit montem. Franz. de anim: cap. 19. Cursus variè moderatur. Quando insequentes longo reliquit intervallo, in tumulum aliquem ascendit: & in posteriores pedes se erigit, tanquam ex specula insectantium certamen prospecturus. Ælian. l. 13. c. 14. Lepores interdum à vulpibus non tantum cursu, sed etiam magis arte comprehenduntur. Captiosè enim circumvenire & inducere vulpes probè novit. Cum igitur noctu in leporis vestigium inciderit, & sensum ex eo perceperit, tacita animam continens, spiritumque comprimens, sensim & pedetentim usque eo vestigiis leporis insistit, quo ad in ipso cubili eum depræhendens, tanquã de insidiis securum animi, & insperantem aggreditur. At enim non hic dissoluto & ignaviter remisso animo, sed suspenso & sollicito somnum capit; & simul ac primum vulpem adventantẽ sensu comprehenderit, de cubili exilit, properans fugam capere, & cursum ad summam celeritatẽ facit: vulpes item vestigiis eum insequens ingreditur currere. Verum longam viam ubi hic confecerit, ut qui jam longinquo abscessu contra vulpem superior factus sit sub dumeta, aliave fruteta densiora subiens, ex longo cursu libenti animo se quieti dat: at vulpes è vestigio insequens ei non concedit ex fuga ut consistat, & laboris requietẽ habeat, sed ad alterũ cursũ excitat ex quiete ipsum & agitat. Postea vero incitato cursu is per multũ viæ procedens itinera non minora, quã prius fugerit rursus vehementer quietẽ

Vulpium in capiendis leporibus calliditas.

capere:

capere cupit: illa vero frutetum, quo se is conjecerit, urget, idq; concutiens, ab assiduo cursu non finit conquiescere, itaq; is iterum excurrit, illa quoq; non se ad insequendum tardans, currere insistit. Cum autem cõtinentur ex alio alius cursus hunc vigiliis, diu multumq; fatigatum exceperit, currendo fessus & laboribus succumbit, & longius procedere desistit: ipsa vero cõsecuta eum ipsum non sane cursu, sed longinquitate temporis & captiosâ investigatione comprahendit. Ælian. l. 13. c. 31.

CAPUT XXXIX.

Vestigia.

Leporis vestigia multum hyeme procedunt, quia longæ sunt noctes: parum autem æstate, quia è contrario sunt breves. Nec vero subolent hyeme, cum primum calorem suâ vi contrahens, geluq; claudens in se contineat: & cum hoc fuerit torpescentibus naribus canes sentire non possunt, priusquã sol diesve procedens omnia resolvat. tunc & canes odorant & ipsa dum percurruntur vestigia redolent. Ea vero delet & ros multus superincumbens. Imbres etiam qui per anni tempora gignuntur, odorem ab humo rapiẽtes, olfactum donec exiccetur difficilem reddunt. Sed australis tempestas deterior est; nam humectans diffundit; septentrionalis vero si serena fuerit contrahit & servat. At vero Pluviæ & rores innudãt. Luna etiam halitum extenuat & si plenilunium fuerit, & vestigia tunc quidem incertissima sunt. Nam exultantes ad Lunam lepores inter se colludunt, & ea longissimè dissipantes dirimunt: sed perturbatissima fiunt, cum ea vulpes antea pertransierint. Ver propter anni temperiem valde clara præbet vestigia: quanquam terra sicubi floret canibus nocet, dum in unum spirantes confundit odores: sed exilia æstate sunt & ambigua. Nam terra fervens abolet quicquid halitus habens. Est enim tenuis & canes tunc minus odorant, quia resoluta sunt corpora. Verum autumno pura sunt vestigia. Quæcunq; enim terra producit, & domestica jam reposita sunt, & agrestia situ labefactata, ut fructum odores nõ superent quibus occupentur. Et hyeme & æstate & autumno Vestigia.

recta sunt plurimum vestigia. vere autem confusa. Nam fera hæc sociabilis est, cum alias semper, tum hoc tempore, ut propterea simul errantes hoc necessario faciat. Subolet autem vestigia cubilium diutius quam pedum: illa enim occupat lepus hæc celeriter obambulat. Itaq; illis refercitur humus, his vero imbuitur. Sylvosa autem loca redolent magis, quam uda. Siquidem modo percurrens lepus, modo procumbens, multa contingit.

CAPUT XL.

Timidi & pavidi lepores.

Timiditas. QUamvis omnia animalia habent, quod timeant. Nam leo ut de reliquis in præsentia taceam rotarum orbes circumrotatos, currus inanes, galli cantum, & ignes timet. Plin: l. 8. c. 16. l. 10. c. 21. Ælian: l. 5. c. 50. tamen præ reliquis timidissimus lepus temereque terretur & pavescit, ut scribit Pollux. l. 5. propterea rectè πτώξ appellatur: πτώσσειν enim formidare est. Addit Nazianzenus in distichis etiã frondium strepitu terreri. Hinc Theo: Idil. 1. καὶ πτώκας βάλλει, καὶ θηρία τ' ἄλλα διώκει

Et timidos figit lepores, nec parcere novit.

Horat. l. Epod. Od. 2. *Pavidúmq; leporem.* — —

Quare Ælianus l. 7. c. 19 lepores ob pavorem Græcos poëtas à pavendo πτώκας appellasse scribit. Galen. de usu part l. 1. c. 2 cervo & lepori timida enim sunt animalia, velox quidem corpus, sed nudum & inerme datum; de anatom: vivorum addit caussam:

Caussa. Animalia plura habent nimiam quantitatem cordis in comparatione sui corporis, & sunt cum hoc pavida plurimum & timida,

Vox acuta. ut lepores & cervi. Habent etiam vocem acutam, nam ut fortia vocem edunt gravem, ut leo taurus, canis: ita timida ut cervus, lepus acutam. Bodin: metho. histo: c. 5. refert caussam in sangvinis tenuitatem. Ita enim scribit. Australes tenui sunt sangvine ut lepores, cervi, unde fit ut timidiores sint ac imbecilliores. Alii in caloris parvitatem, quod parvus sit & extra feratur pars plurima ab eo ad membra vivificanda, sensificanda & movenda; quare non calefacit ipsum integrum, sed relinquitur frigidum & vacuum, inde angust' & parvus animus. Formidinis ergo trepidiq; pavoris hieroglyphicũ lepus: timidissimi

enim

enim ingenii. Hinc Cornificii Poëæ opprobirum in fugientes milites, quos galeatos lepores vocat.

CAPUT XLI.
Solitudo.

Non solum frequentata loca ab hominibus & bestiis fugiunt lepores, sed etiam solitaria ubi raro vestigium hominis pede impressum, inhabitant. Hinc lustra illorum à Græcis dicuntur, θάμνοι συνηρεφεῖς, id est obductoria, densioraq; arbusta; vel Idæ ἀμφιλαφεῖς, id est, consita copiosa: Rochmi βαθεῖς, id est, scissuræ profundæ. Rhodig: l.14. c.19. Nunquam plures in eodem cubili versatur, & qui maximè vicini sunt, unius jugeri inter vallo secubant. Hinc non imperitè hominem solitarium per leporem quidam describunt. Solitudo.

CAPUT XLII.
Agilitas seu velocitas.

Agilem leporem esse res illa indicat, quod ociose de ambulando lascivit: gradientem nec vidit quisquam, nec videbit, quia posterioribus pedibus priores transit exterius, quem in modum etiam currit. Xenoph. de venat: Nec alio modo quam fuga se tutari potest. Matthiol. in Diosco. l.3. c.18. omnia enim levitati apta, caput agile, rotundum, longitudine idonea, aures sublimes; quæ regunt currentem, corpus non magnum, pilos habet avium plumas molitia imitantes. Franz: de anim: c 19. Vulpes tamē celeritati ipsius opponit dolum, quia in medio cursu fingit se desistere, & quiescit etiam parumper, sed mox nihil tale timentem acrius insectatur, usq; ad ipsum cubile. Ratio ab Isiod: l. 11. affertur. Omne animal velox est timidū & imbecille, nullū, habens armorum genus nisi membrorū levitatem. B. Pontan: de prop: anim: l.18. c. 66. Data igitur lepori membrorum levitas, & cursus agilitas contra canes & alias bestias ipsum insequentes Ælian: l.13 c.4. addit gradus, Campestris celeriore & concitatiore cursu, quam montanus viam conficit, ꝑpter corporis exiguitatē. Cū enim gracili habitu sit, ipsū levitate & celeritate pręstare proximū vero est. Qui in dumeti segnes. Xenoph. de venat:

Agilitas. Caussa. Gradus Velocitatis.

venat: omnium tardissimi palustres. Interruptam etiam velocitatem auget, quod pedes ipsius sunt pilosi, ne lædantur inter currendum. Juvenes primo cursu velocissimi feruntur: deinceps nõ ita: agiles enim sunt sed imbecilles. Xenoph. de vena:

CAPUT XLIII.

Astutia, Prudentia.

Astutia. ETsi nihil vel parum in lepore sit, quod alicujus insignis virtutis commendationem mereatur, quædam tamen notanda reperiuntur. Nam Aristoteles de anim: l. 1. c. 1. ubi de differẽtia morum loquitur, aliæ bestiæ ingeniosę & timidę, ut cervi, lepores & cuniculi: quod & Porta Phytog: l. 7. c. 1. probat: inprimis vero Salomon Proverb. c. 30. v. 24. Prudentiæ etiam semina habere videtur. *Prudentia.* Plutarch. de anim: Compa. scribit. Lepores in cubile regressi lepusculos suos alium alio deportant & abscondunt, ut intervallum sæpe inter eos jugeri sit: ne si interveniat homo, vel canis, in periculum universi vocentur: & à rapinis tutiores sint Ælian. l. 13. c. 11. Per hyemem ponit cubile suum in sulcis agrorum, sed circa appropinquantem messem abdit se in vineis, post messem ubi uvæ incipiunt maturescere, iterum discedit ex vineis. Discursu quoq; multiplici compluribus locis vestigia premunt, denique saltu ingenti reducunt se à vestigiis, atq; ita cubant. Fugit loca frequentata, & libentius degit in solitudine. Quod prudentiæ potius, quam timiditatis signum: quia enim inermis, loco sibi cavet. Non transit etiam per spinas, quibus capilli possint adhærere & suo odore canibus vestigia relinquere. Inter venandum flexuoso cursu utitur, ut decipiat canes. Franz: de anim: c. 19. Descendens de monte non æqualiter continuat cursum, sed obliquè circuit montem. Facilius enim ascendit, quam descendit propter posteriores pedes longiores. Hinc rectè callidum leporem apud Martialem legimus.

CAPUT

CAPUT XLIV.

Manſveſcit.

CArdan: l. 10. de ſubtil: ſcribit: Quadrupedia minus cicurari, imprimis vero lepores ob timiditatem. non enim poſſunt amare, quos vitæ ſuæ inſidiari noverunt. Et Grapal: l. c. 7. inter ſemifera animalia numerantur lepores: quæ nec placida nec fera ſunt, ſed mediæ inter utraq; naturæ. Non enim feritatem habent, & ideo ferę dici nō poſſunt: neq; manſueſcunt unquā: quo fit ut nec placidi, nec cicures habeantur. Scaliger E. 224. negat. Homini enim magis ſunt ſunt affinia, quam quæ aëris liberiorem uſum ſibi vendicant. Obediunt etiam magis quæ ſunt in vinculis, quam avium genera: ne gallinæ quidem, nam ad paſtum veniunt, ad hominem vacuum non accedunt. Itaq; cum quadrupedū longe majore numero uſus eſt homini & illæ illi obedientia commodiores. Quæ vero à feris cicurantur minore negotio & manſveſcunt, & parent imperio quadrupedes, quam aves. Sup: de vena: oſtenſum eſt ex Ælian: l. 2. c. 26. Indos leporibus manſuetis alios capere. Et Scalig: addit hiſtorias In avi materni Paridis arce Lodroni cum eſſemus, pueri leporem aluim⁹, qui adultus cum canibus leporariis, etiam interdum à recenti crueto ore venatione liberè & ſecure luſitabat. Alium leporē domeſticū in arce Montiſpeſſati memini poſterioribus pedib⁹ bis, ter, quater ſupplodentem: quo quaſi ſe acueret, belli cientem ſimulacra & ultrò canes provocare E. 224. Cardan: de varieta: l. 7. c. 31. ſcribit. Non ſolum quadrupedia, ſed & cetera animalia, conſvetudine mores imbuunt, adeo, ut cuniculum viderim in domo Zapedę patritii Hiſpani, qui canes ultro morſu appetebat, eo deductus longa conſvetudine, quod canem domeſticum aſſuetus eſſet impetere. Et ante paucos annos D. Præfect⁹ Altdorfinus Rockenbachius aluit leporem domeſticū qui non ſolū accedebat domeſticos quosvis, luſitabat cū canibus, ſed etiā de feneſtra proſpiciebat, menſæ cū reliquis convivis aſſidebat objecta ut canis eſitabat. Et quod riſu dignū & admiratione quia aſſvetus erat urinā reddere in vaſculū quoddam parvum ex ſtāno albo, & caſu quodā in conſueto loco nō reperiebat: aſcendit menſā & in ſalinum exonerat veſicam. Clariſ: D. Rumelius

Non manſueſcere.

Affirmantur manſveſcere.

Hiſtoria.

Nesgoræ aluit leporem mansuetum mensæ assidentem, & omnia ciborum genera affectantem, applausuq; pedum victum poscentem. Torque quoq; fuit indutus circa collũ campanulis ornata, quorum tinnitu canes etiam majores fugabat. Ego quoque habui cuniculum à quodam cive donatum, qui viso cane etiam supplodebat pedibus: & ita cicur erat ut non solum inter duos catellos & felem sine metu versaretur: sed etiam patiebatur se attrectari à filiabus & domesticis, cibum etiam è manibus capiebat. Sed periit mihi nescio quo casu.

Caput XLV.

Iracundia.

Ira. PLus caloris in lepore, quia plus sangvinis & spirituum quam in crabrone, huic tamen promtior majorq; ira. Quin idem lepus ariete calidior, & minimè irascitur. Omnino à siccitate, non à calore iracundia. Scaliger E. 274.

Caput XLVI.

Ventorum rationem novit.

RAtionem tum ventorum, tum temporum plane scit lepus, animal callidius quam blandius. Temporum enim commutationes nares indicant Ælian: l. 13. c. 13. Hinc lepores multi iisdem in locis conspecti bonam aëris temperiem significant. Ælia: l. 7. c. 8. Hyeme apricis locis cubilia idcirco informat, atq; imprimit, quod aplicationem vehementer appetit, frigus hostilem in modum declinat: æstate vero altioris sedis studio captus ad aquilonem cubitat.

Tempestates observat.

Caput XLVII.

Lepus animal infaustum.

Augurium. NOn solum lepores, sed & lupi, vulpes, leones, capræ, juvenci asini, arietes, mustelç, mures movent auspicia. Luporũ adeo in auspicat' in urbe Roma aspectus, ut semper urbis solemni lu-

strati

ſtratione expiaretur. Peucer. de auguriis. Quia autem lepus timidiſſimum animal, ideo occurſum ejus ominoſum augures putāt; improſperum & in auſpicatum: quemadmodū & vulpes fœta, & canis prægnans Alexand. ab Alexandro l. 5. c. 13. Quod quidem non noſtri tantum temporis vulgus credit, ſed veteribus etiam perſuaſum fuiſſe teſtatur ſenariolus, qui recitatur à Pierio ex Aſtrampſycho in Oneirocritico. φανεὶς ὁ λαγωὸς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους Intellige per ſomnum apparens lepus in auſpicatum dat iter oblatus lepus. Ad quę verba Joh. Meurſius Suid. φανεὶς ὁ λαγωὸς. Artemido: l. 4. 58. τὰ δειλὰ καὶ ἀνελεύθερα, δειλοὺς ἢ δραπέτας παρεισῶσιν ὡς ἔλαφος, λαγωὸς, κύων. Aliter Achmes c. 278. Hactenus Meurſius. W. Franzius de animal. c. 19. addit rationem: quia loca ut plurimum ſunt deſerta & latronibus commoda. Cum enim ſit formidoloſiſſimum animal omnium, non facilè in obviis à celebribus locis quieſcit. Eſſe autem infelix animal vel prodigium Xerxi factum oſtendit: nam equa leporem enixa eſt. Herod: l. 7. ſubjicit: quod facile erat conjectandum, fore ut exercitum adverſus Græciam cum magno ſtrepitu & ambitioſiſſimè duceret, rurſusq; pro ſe ipſe ſolus ad eundem locum fuga recurreret. Imo Alexan: ab Al. l. 2. c. 31. ſcribit: cruenta bella ſtragesq; & memorandū illud excidiū, quæ poſtea precipitantibus fatis ſecuta ſunt, præmonſtravit. Sicut etiam omnia de leporibus inſomnia mala & infelicia. Ut enim leo animi fortitudinē & robur ſignificat. l. 1. c. 9. Lepus ꝙ habet crura poſteriora longiora ſignificat curſorem aut fugam meditantem. Forma enim principium operationis. l. 1. c. 33. Omnia infauſta ſignificat & mortē l. 1. c. 38. Apomaſ: de inſomn: ſignif: c 278. Lepores ad earum mulierū perſonas refert, quæ fucatam & aſcititiam venuſtatē adſectant. Si quis inveniſſe leporē viſus ſibi fuerit hujusmodi mulierem inveniet, ac ſiquidem viſus ſibi fuerit ejus pellē ſuſtuliſſe, divitias ex ea lucrabitur. Si aſſata carne leporina veſci viſus ſibi fuerit & opes ab ea conſequetur & in morbū incidet. Si leporem ſibi viſus fuerit perſequi, ejusmodi mulierem amabit, eamque ſectabitur. Si viſus ſibi fuerit in perſequendo conjeciſſe virgam vel aliquid aliud: ſiquidem leporem attigit, eaque potitus eſt: deſiderio votoque ſuo ſatis faciet. Sin autem ad iracundiam & acerbitatem mulier hominem irritando provocabit. Artemido

Inſomnia de leporibus infauſta.

mido: de ſom. interpret. l. 4. c. 58. Timida & fugacia animalia & illiberalia, timidos & fugitivos nobis exhibent: velut cervus, lepus, canis. Et 1. Regionis animantia & vernacula animalia ſignificant prope habitantes & propе fores, ut hirundo & lepus. Hæc vero & fugitivos domum redire ſignificant natura liberos exiſtentes. Lepus timorē & mollitiem ſignificat Carda. de ſom: l. 1. c. 29. & c. 33. dicit ſignificare curſorem aut fugam meditantē. c. 38. lepus omnia infauſta & mortem etiam ſignificat. c. 40. Pilis aſini labores, leporis mortem brevi & crudelem ſignificat: parum enim vivit & à canibus vivus lacerari ſolet. l. 3. c. 13. Lepus canem perſequens mutationem in deterius ſignificat.

CAPUT XLVIII.

Superſtitioſa.

Superſtitioſa.

MOs fuit veteribus, ut tenellos lepores dimitterent, DEÆ captantes gratiam. Deinde ſi feram ſe in flumen pręcipitare animadvertiſſent venationem interrumpebant. Rhodig. l. 14. c. 31. Græci amoribus ſacrum fabulantur leporem: quia λαγὼς dicatur ἀπὸ τοῦ λάειν. Erotes vero à verbo ὁρᾷν utroq; viſum ſignificante. Rhod. l. 14. c. 30. Huc referri poſſe videntur, illa Conſtā: Africani & Joh. Bapt. Portæ. Conſtan: l. de anim: ad Octav. c. 3. ſcribit. Candela ex adipe leporinâ in medio fœminarum poſita, incipere eas eſſe hilares. Port. l. 20. c. 8. Mag. natur. ſic habet. Ut nil relinquam, quod à circulatoribus, & necromanticis ſimulatur; Apponunt lucernam characteribus inſcriptā, leporino adipe plenam & quibusdā obmumuratis verbis cum eam incendūt, & medio mulierum ardet, conſtringit omnes, ut abjectis veſtib. omnia viris ſpontè oſtendant, quæ operta tegunt, vident, nec ſaltare deſierint, usq; donec ardeat lucerna, quod mihi à fide dignis narratum fuit. Conſideravi non niſi à leporino adipe effectus poſſe provenire, cujus fortaſſe vis letalis quadam cerebrum penetrans ad ejusmodi dementiā concitat. Simile à Maſſagetis fieri narratur ab Homero, eſſe arbores, quarum fructus ſi in ignem projiciatur, omnes qui igni proximiores fuerint, ebrios & ſtolidos evadere: nam illico, è ſedibus inſiliunt, & choreis & ſaltationib. indulgent.

CAPUT XLIX.

Miracula seu portenta.

SI, quod Cardan. in Hipp. de aër: atque & locis scripserit lectu: 101. t. 9. verum est, lepores in Ægypto è terrâ nasci inter miracula ponendum puto. Inter prodigia quoque referri potest, quod supra annotavimus: equum in exercitu Xerxis leporem peperisse. Pro miraculo habeo, si verum est, leporem locutum. M. Piccartus D. 3. historicopol. c. 4. Zonaras t. 1. in Sicilia, bovem locutum: alium in Latio Annibalis bello pendente. Q. Fal. Max. & M. Marcello Coss. recolit Livius D. 3. l. 4. & ex illo August. de civita: Dei l. 3. c. 31. In sacris etiam. Num. c. 23. v. 30. Asina Baleami locuta est. Plin. l. 10. c. 21. Invenitur in annal. in Ariminensi agro. M. Lepido & Q. Catulo Coss. in villa Galerii locutum gallum gallinaceum. Plin. l. 17. c. 25. & Alexan. in Epist. ad Aristotelem etiam arbores locutas scribunt. Videbis inquiunt Rex quicunque eas duas solis & lunæ arbores Indicè & Græcè loquentes. Habes fabulam lector, nunc assem para.

Loquitur lepus.

Et alia animalia complura.

CAPUT L.


Singularia.

LEpus ex utraque parte dentatus acetabula vulvæ habet Arist. l. 3. c. 1. de histo. anim. Solum hoc inter cætera terræ animalia, quæ utrimque dentata sunt, ut scribit Aristoteles de par: anim: lib. 3. cap. 15. & quæ unicum tantum ventrem continent, coagulum habent. Cuniculus, qui cuniculos agit dictus à fodiendo: lepus nunquam fodere visus est. Bodinus: in Ithaca illati lepores moriuntur. In Corsica insula nedum capra fera, aut bos, sed ne lepus quidem Polyb. lib. 12. Naucrates Comicus in Perside affirmat in Attico agro raro dasypodas inveniri. Alceus tamen, in Callisto multos esse in Attica ostendit. Athenæ: l. 9. in Ithaca illati lepores moriuntur. In Ebuso cuniculi non sunt, frequentes in Hispania, Balearibusq; Plin. l. 8. c. 58. Por. Phytog. l. 2. c. 4. Lepus animal pilosum & solum animalium pronam supinamq; pedum partem hirsutam habet. Porta de hum. Phy. f. l. 2. f. 261.

Singularia.

f.261. intra genas in bucca pilos habet. Arist.l 3. de histor. anim. c. 12. Data autem sub pedibus nulla pilorum villositas, ut pili, pedes carnositatem currendo à læsione defendant, & propter sui levitatem in cursu nullatenus impedirent. B. Pontan. de prop: anim. l. 18. c. *66*. Mares aversi coeunt cum fæminis, retro enim eis genitale membrum à natura datum, ut apparet dum urinam reddunt. Aristoteles de anim: l.3. c. 1. l. 5. c. 2. l. 6. c. 33. In Bisaltia Thraciæ regione, duplex jecur lepores habere, Theopompus ait, Gell. l.16. c.15. Athen: l 6 Ælian: 5. c.27. Plin: l.11. c. 37. Cuniculorum exta in Bęotia gemina sæpè reperiuntur: circa Briletum, Thernem & in Chersoneso ad Propontidem, idem fieri ad firmat. l.3. de par: anim. c.7. Mirumq; translatis alio interire alterum. Plin. l.11. c.37. Gell: l.16. c.15. Athen. l.9. Aristoteles de histo: anim: l 2 c.17. In Sycino agro circa Balbum lacũ quoq;. Alex. ab Alexan: l.5. id non prodigum esse, sed omnium opinione receptum est.

CORNUTUS LEPUS.



In Sce

In Saxonia in venatione cornuti lepores capti, ut figura apud Gesnerũ ostendit. In area arcis Burgmilchhingẽ Illustris Baronis Heinrici Hermanni parieti affixus est lepus cornutus Wilhelmsdorfi. Haud recte igitur Laberius vocavit bestias exungues, & ex cornes, utrisq; n. præditos experiẽtia testatur. Vocem habẽt acutam lepores, ut omnia timida animalia. Si morbus aliquẽ invaserit, reliqui aufugiunt, nulla cõmiseratione moti, & quo tutiores esse possint, relinquunt loca infesta. Hortus Sanit. de cuniculis. Catuli horũ non sunt cæci, ut ursæ & canis. Lepus & cuniculus ruminant, quamvis unum tantũ ventrem habeant, sicut & mus Ponticus. Freig. Phys. l. 34. Posteriores pedes longiores habet ad facilè corpus elevandũ in cursu cõtra montẽ. Pontã. de prop. anim. l. 18. c. 66. Solum hoc animal inter terrestria, quæ utrinq; dentata sunt, & quæ unicum continent ventrem, coagulum habet. Aristotel. l. 3. par. anim. c. 21. reddit caussam, quoniam herbam succi lactei pascatur. Superiorum labiorum fissuram habet: q vitium in hominibus vulgo vocatur Hasen scharten, oder Hasen mund. Cujus curationem docet egregie Galp. Toliocotius l. 2. de curtor: Chirurgia c. 19. Aristot. de anim. l. 3. c. 1 scribit: Lepus acetabula habet vulvæ: at cætera utrinq; dentata pedibus prædita non habent. Ex adverso mingit lepus, ut lynx, leo, camelus. Aristot. de anim. l. 2. c. 1.

CAPUT LI.

Memorabilia.

SEptuaginta interpretes in translatione sacrarum literarum in Græcum sermonem ubi leporis nomen occurrit, non λαγὼς sed δασύπους posuerunt, Ne ut quidam putant, offenderent regem Philadelphum cujus avus λαγὼς appellatus. Ratio hæc tribuitur Egesippo, sed locum ad huc reperire non licuit memoriam ergo aliorum imploro. Xenoph. de Cyri expeditione lib. 4. notat novum quendam maritum leporum venatione detentum cum cæteris non fuisse oppressum. Folco quartus à nativitate Christi Rex Hierosolimitanus, cum ad Accon urbem q̃ & Ptolomais dicitur leporẽ equo persequeretur, equus ex nimia celeritate corrueret, Memorabilia.

ruerer, Rex ex casu illo mortuus est. Buntinus: in Iti nemo S. Scripturæ. In Poloniæ regno post regiam dignitatem, principes sunt, Palatini & Castellani, ex quibus solus Cracoviensis præliquis omnibus primatum obtinet locum. Et hoc inde, quia in bello quodam dubio miles quidam gregarius à Palatino fugæ initio orto, equo regis interfecto suum subdidit, à Boleslao magnis honoribus ornatus est: Palatinus vero leporis pelle donatus fuit colo & fuso. ut Herbutus in histo: Polonica scribit l. 4. c. 11. Theod. Zwingerus theat: volum: 8. l. 5. hac ignominia adfectum ad voluntarium suspendium redactum scribit. Herbu: l. 4. c. 7. superbiam & rebellionem caussam fuisse scribit. Athenæ: l. 9. Chamaleon scribit de Simonide, illum cænantem apud Hieronem, cum ipsi leporem non apposuisset, ut reliquis, sed postea Hiero portionem misisset ex tempore versum hunc edidisse.

Non etenim, quamvis celer, huc usq; pervenerat.

Fuit autem præparcus Simonides, & quæstus vel turpis avidus. Nam largiente magnificè, dum Syracusis esset, Hierone ad quotidianum victum necessaria, eorum quæ mittebantur, majorem partem vendebat, minore sibi asservata. Rogatus vero qua de caussa id faceret: ὅπως εἶπεν ἡ τε ἱέρων© μεγαλοπρέπεια καταφανὴς ἦ καὶ ἡ ἐμὴ κοσμιότης, ut perspecta sit inquit, Hieronis magnificentia, & mea temperantia. Athen: l. 14. Naucrates Comicyni Perside in agro Attico raro dasypodas invēiri affirmat: & ob eam fortassis raritatem leporis carnem adeo lautam esse putarūt Athenienses. Et Aristophan: bona omnia luxumq; maximū. Ælian: l. 9. Hegesander Delphus in com: tradit, principatu Antigoni regis Gonaræ, Demetrii filii tantam leporē in Astypolæa copiam extitisse, ut ꝓpterea cives ejus oppidi oraculū consuluerint, quib⁹ Phœbi Sacerdos respōdit, alendos esse canes ad venationem, & uinus animi spacio sexies mille adeoq; plures captos. Tantæ vero multitudinis caussam præbuisse Anaphæum quendam, qui lepores duos in insulam conjecisset antea lepores Astypolæa nō habebat. Formoso Rom: Pontif. lepus ab exercitu exterritus cursum in urbē Romam dirigens, introducit hostem Arnolphū. Luidprandus & Segebertus Relatu dignum & illud civilium bellorum tonātibus procellis inter Augustum Antoniumque,

que, Cornificium poëtam à militibus destitutum interiisse, quos sæpè galeatos lepores appellabat. Rhodig: l.14.c.31. Lysandrũ prodit historia, cum à Lacedæmoniorum ductu Corinthios defecisse, fama nunciasset, profectum copiis instructum ad civitatem oppugnandam, ubi suos timore perculsos animadvertit, ignavius segniusq; irruere ac inferre signa, leporem fortè transilientem fossam vidisse, quo argumento fiduciæ jam plenum milites sic hortari cæpisse. Non erubescitis Spartiatæ, hujus modi hostes formidare, ad quorum mœnia lepores ex ociosâ, inertiq; vitâ dormiunt. Rhod: l.14.c.29. Gymnesiarum insularũ incolæ aliquando missis legatis petierunt à Romanis terram sibi habitandam, quod, suâ sede à cuniculis pelli, neq; eorum multitudini, resistere posse, dicerent. Strabo. l. 3. Non prætereundum callidum Harpagi factum in mittendis literis exenterato lepore ad Cyrum Herod. l. 1. Non negligendus quoque Ciceronis locus in Verrin: 4. Orat. 9. *Si quod erat grande vas & majus opus inventum, læti transferebant. Sin minus ejusmodi quippiam venari poterant: illa quidem certe pro lepusculis capiebantur, patellæ, pateræ, thuribula.* Lepus Bæoticæ urbis condendæ locum monstravit. Cum enim è tribus civitatibus Etiade, Aphrodisiade & Sida profugi, quærerent ubi consisterent, responsum acceperunt, Dianam quo loco urbem conderent monstraturam. Interim in terram expositis se lepus ostendit, quem secutum tanquam viæ ducem, cum ille se myrtum recepisset, eo ipso in loco, ubi myrtus illa fuit, oppidum munierunt. Paus: in Lacon: l. 3. Rhegini leporem & currum nummis in cusum habuerunt. Rodig: antiq: lectio: l. 14. c. 31. Alexan: ab Alexand: l. 4. Froissartus ridiculam narrat historiam, in castris Philip: Valesii ac Eduardi tertii Regis Angliæ factum, cum propè esset, ut die condicto dimicarent, lepus ante castra Gallorum excurrens tantum barritum excitavit, ut postremi audientes, & pugnæ initium esse cogitantes, sese ad arma compararent: quidam autem hippocami optimè animati equestrem ordinem postularunt: cumq; non dimicassent exercitus, sed reb' infectis, Rex Eduardus discessisset, hi semper ex eo tempore equites leporis appellati. Joan: Tilius. l. 2. comm: de rebus Gallicis. Aristoteles. l. 3. Rheto: Pollux. l. 5. onom. scribunt

lepores in Sicilia priscis temporibus non extitisse, sed Anaxilam Messanensium & Rheginensium Tyrannum aliunde acceptos eo invexisse. Quocirca cum in Olympiacis victor evasisset Rheginorum & Messanensium numismatibus currum & leporem incidi curavit. Quæ in ære atque argento affabre expressa suo tempore haberi potuisse, testatur Farell. Decadis prioris l. 1. rerum Sicularum. Nec oblivione tegendum, & illud Dyonis. l. 62. in Nerone, ubi scribit: leporem ominis caussâ à Bundica Britanna pugnatura cum Romanis, emissum. Potest & hæc historia vera & lepida subjici. Scoti duo marsupiorum aucupes observabãt Anglos mercatores, quorum alter 4000. ducatos in bulga viatoria habebat, ut illos prædicto auro emungerẽt, dabant illi in hospicio publico potionem purgantem, ut altero die ventris officium circa fossas, ad quas sæpius à Scotis fusi Angli, facere cogeretur. Offerebat illico cuniculum, cujus carne mirificè delectantur Angli, pretii nomen palam facere recusans altero comitum equo longius avecto: quem ubi ephippio adalligârat marsupium repletum ducatis prædictis pro pretio auferebat, & mercatorem in equum attollebat, omnia officia ipsi offerendo. Mercator exutus suis familiaribus, alterum subsequebatur. Eodem Hospicii jure usi, alter hunc de communicatione cuniculi præparandi appellat, qui legem dicit, si pretium cuniculi refundere velit. Hoc spondente: alter hunc in cõmunem usum & eum cuniculi admitti t, & pretium deperditum recuperat. A. C. 15. 13. Jacobo Scotorum rege tertiam diem pugnę constituente, & cum ducibus de prælii ratione disputante, lepus è prætorio psiliens, ac mille petitus telis per mediam stationem intactus evasit.

CAPUT LII.

Jocus.

Jocus. QUæritur quando leporem dentes vehementissimo dolore afficiant? & respondetur: cum impetitur morsibus animalium & inprimis canum. Pincier: l. 3. Ænig. 29.

CAPUT

CAPUT LIII.

Fabulæ.

Fabulæ.

1. ADflictis aliorum miserias solatio esse, ostendit fabula de leporibus & ranis: ut & illa de passere, quæ dum leporis calamitatem deplorat, ipse simili fato moritur.

2. Orationem nisi etiam viribus sit fulta, à potentioribus derideri, fabulæ de leporum concione docet. Cujus meminit Arist. 3. polit. t. 95. Antistheni adscribens. Quod etiam Lysandri responsum Megarensi oratori datum exprimit.

3. Principes civitatum non facilè castigandos, aut paulo durius tractandos esse redarguit fabula de coquo & lepore.

4. Qui salutem amet cum potentioribus inimicitias non exerceat, monet fabula de leporibus, qui adversus aquilas bellum suscipiebant.

5. Maximas corporis dotes, cum minimis animi bonis, comparādas non esse innuit fabula de lepore, qui se vulpi ob pedum pernicitatem opponebat.

6. Non uni cuncta dare Deum vult fabula de lepore, qui calliditatem ingenii ut Juppiter adderet rogabat.

7. Fabula de leporum incremento hortatur, in parvis non sine causa potentum opem implorandam esse.

8. Illa vero de leporis eruditione affirmat, eum qui literarum & disciplinarum studia non amat, auget, & exornat, ipsis bestiis immaniorem esse.

9. Sibi non cavere & aliis consilium dare, stultum esse docet fabula de passere ad leporem.

CAPUT LIV.

Hieroglyphica.

Patens quid

ÆGyptii patens aliquid significare volentes leporem pingebāt, cum id animal oculos semper apertos habeat, ut scribunt Horus & Porta hum. Physic. l. 3. c. 17.

Vigilantia.

Pier. l. 13. Ægyptii sacerdotes per leporis hieroglyphicum vigilantiam in primis intelligebant. Caussam ponit Horus ꝙ lepus oculos inter dormiendum patefactos ostendit. Locus Horapollinis. ἄνοιξιν δὲ θέλοντες, δηλῶσαι λαγωὸν ζωγραφοῦσι, διὰ τὸ πάντοτε

τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεωγότας ἔχειν τοῦτο τὸ ζῶον. Ubi Hæschelius ad illa verba ἀνεωγότας ἔχειν citat Plutar. l. 4. symp. q. 5. Ælian. l. 13. de animal: c. 13. Plutarchus antiquitatis indagator antiquissimus ex leporino simulacro auditum Hieroglyphicos intelligi apud Ægyptios scribit conviva. l. 4. q. 5. habet enim aures maximas.

Auditus.

Effæminatio

Est etiam enervatæ effæminationis signum, cum propter pilorū mollitiem, quam Heliogabulus in lascivioribus delitiis una cum perdicum plumulis subsalaribus habuit. & Catullus infædę mollitudinis scortum annotat: tum propter pulpamentum de quo Livii Andronici dicterium pervulgatum, quod Terentius, ut Flavius Vopiscus attestatur ab eo mutuatus est. à Græcis vero Livius acceperat: ita dicētibus: δασύπους κρέων ἐπιθυμεῖ. Accedit timiditas eximia & lascivia delicata: propter quam gentes Veneri dedicarunt leporem.

Formido.

Formidinis & trepidi pavoris hieroglyphicum lep⁹ habetur, quia supremè timidum ingenium possidet. Hinc Archidamus Zeuxidami Spartiadæ, quamvis alii Lysandrum ponunt, Corinthiorum urbem aggressus, cum leporem ex loco muris vicino excitatum animadvertisset, omine in hostes converso, futurum ait, ad milites, ut hostes facilè caperentur. Fieri enim non poterat, quin sæpius ascenderent Spartiatæ mœnia, neq; in illis habuissent exercitia militaria, & per consequens, non essent boni milites. Pari propemodū eventu Arnulpho rege, qui Berengario auxilium tulerat, Romam oppugnante, excitus è latebris clamore tumultuq; militum, lepus urbē versus cursum arripuit: quem magno clamore subsecuti milites, urbem ceperunt sine defensoribus.

Venustas.

Venustatis symbolum quoq; est lepus, Veneriq; fœcunditatis ergo carissimus. Operæ pretium vero est, apud Philostratū in picturis videre leporem sub arbore malo inter amores ociantem, quem decidentia terræ poma depascentem, multaq; semesa prętereuntē, & modo hæc, modo illa cōmordentem, ubi illi depræhenderunt, ibi tum alius complosis manibus, clamore, alius, alius chlamyde ventilata, jactataq; perterrefaciū supervolitant alii feram vociferatione illam excitantes, & modo huc modo illuc cursu percitam agitant: pedestres alii vestigia consectantur, alius tanquam aliquis jaculaturus impetum in eum facit alioq;

avertit: alius lepusculi cruribus insidias molitur; ille ubi in ulnas jam apprehensus est, mollissimâ pilorum lubricitate fretus, minimo negotio se expedit, sublimiq; sublatus saltu capturam evadit. Risu itaq; amores diffluunt, collabentesq; præ lascivià & nimiâ cachinorum agitatione alius in latus, alius supinus, resupinus alius per herbas sparsim strati provolvuntur. Sagittam vero nemo unus intorquet, sed vivum capere contendunt gratissimam Veneri matri victimam oblaturi.

Est & fæcunditatis hieroglyphicũ, utpote animal rei Venereæ deditissimum. Non imperite nonnulli hominem solitarium & reliquorum contubernia declinantem, per leporem in cavum se proripientem descripsere. Nunquam enim duos pluresve in eodem cubili versari comperies. *Fæcunditas. Solitudo.*

Contentionem laudis pulcherrimam per exanimatum leporem & canem Plutar: l. de terrest: & marin: anim: sollertia depingit. Si contigerit ut vivos necet, discerpere, & sangvine sese polluere, inquinareq; mirificè gaudet: quod si animum lepus despondent, neque ullum jam effugio locum superesse viderit, quod plerumq; accidit, quantumq; spiritum habet, intensissimo consumit cursu, ita ut deficiat, exanimeturq; : tunc compertum est, canes simulac ita exanimem conspexerint omnino non contigere, sed consistere, sibiq; temperare, movare caudas, argumentum manifestum animo præbens, se non carnium, sed victoriæ tantum gratia decertasse. Atq; hoc sæpissimè & passim evenire, una venatorum omnium asseveratione confirmatur. *Contentio laudis.*

Ægyptii memorem per leporis aut vulpis figuram significabant: quod summi sit auditus & insignis memoriæ. *Memoria.*

CAPUT LV.

Proverbia.

LEporem non edit. Antiquitus creditum est esu leporis conciliari gratiam formæ. Unde Martialis jocus in Gelliam, quæ misso lepore addebat, ex vulgata opinione ad muneris commendationem l5. Ep. 30. *Formosus septem Marte diebus eris.* *I. Leporem nõ edit.*

Id poëta in ipsam, quia deformis erat, retorsit,

Edisti nunquam Gellia tu leporem.

De Alexandro Severo ſupra dictum eſt, c. 18, Eraſm: Chil. 2. c. 1. Ada: 15.

2. *Lepori eſurienti & placenta pro ficus.*

Lepori eſurienti & placentæ proficis. Suidas tradit dictum de iis qui compulſi neceſſitate, res etiam pretioſiſſimas abſumunt: vel ut alii volunt, qui neceſſaria pretioſa putant. Fortaſſe natum ab ejusmodi fabula qualem de ſe narrat Apuleius: quod adactus fame placentas primum lamberet, deinde etiam conſumeret Eraſm: Chil. 3. c. 6. Ada: 54.

3. *Edit leporē marinum.*

Edit leporem marinum. In hos qui tabeſcunt, & nullâ medicorum operâ poſſunt reſtitui. Eraſm: Chil. 2. c. 1. Ada: 15.

4. *Leporis vitā vivere.*

Leporis vitam vivere. de iis dicitur qui ſemper anxii trepidiq; in perpetuo metu vivunt: quod id animal omnium prædæ expoſitum, ne ſomnum quidem capit, niſi apertis oculis. Eraſm: Chil: 4. c. 4. Ad. 78. Apud Lucianum is dicitur, qui præpotētes à facundiâ claros infans ipſe formidat perpetuo. Rhodig: l. 14. c. 31. Demoſth: in orat: περὶ στεφάνου Æſchinem conſcientiæ vitę anteactæ & facinororum & flagitiorum à ſe admiſſorum metu perterritum, ait, in rebus ſecundis civitatis leporis vitam vixiſſe.

5. *Lepus apparens infortunatum facit iter.*

Lepus apparens infortunatum facit iter. Vulgo creditur etiam his temporipus occurſum leporis omen eſſe parum felix iter ingreſſis. Torqueri poteſt ad interventum cujuspiam, qui videatur incommodum aliquod allaturus. Eraſm. Chiliad. 2. c 10. Adag 45.

6. *Lepus dormiens.*

Lepus dormiens. Quadrat in eum, qui quod non facit, id facere ſimulat, aut quod facit, id ſe facere diſſimulat. Qualem arbitrātur fuiſſe Ulyſſis ſomnū cum à Phæacibus in Ithacā Inſulā tranſportaretur, autore Plutarcho de audien: poët: Neq; perperam dicetur in timidos. Eraſm. Chil. 1. c. 10. Adag: 57.

7. *Lepus pro carnibus.*

Lepus pro carnibus ſcilicet periclitatur. In eos dicitur, qui ob aliquam ſui utilitatem in diſcrimen vocantur. Nam leporem non ſectamur, quod noceat, ſed quod pulpamentum habeat. Eſt enim animal eſculentum, timidum, atq; inerme ut natura hominum eſcis leporem genuiſſe videatur, Eraſm. l. 2. c. 1. Ad. 80.

8. *Somnus leporinus.*

Somnus leporinus in proverbium quoq; abiit, ut dicatur, λαγὼς καθεύδων ἐπὶ τῶν καθεύδειν προσποιουμένων, ut ait Suidas. Vide Camera: c. 2, Em-

Embl: 77. cujus lemma, vigilandum. Insidiis siquidem cingimur infinitis.

9. *Lepus pro carnibus.*

Lepus pro carnibus currit. De iis qui magno suo periculo aut capitis discrimine acriter decertant. Nam lepus quoniam intelligit se ad necem peti, pernitiosissimo fugit cursu. Sic Aristophanis interpres apud Argimelam, servos non pro pecunia, aut alio quovis præmio, sed pro vitâ dimicare solet dicere Erasm: Chil: 2. c. 1. Ada: 80.

10. *Carpathius leporem.*

Carpathius leporem. In eos qui rem sibi noxiam accersunt. Cum enim in Carpathiorum insula lepores non essent, curarunt importandos aliunde: ubi magna eorum copia increvisset, fruges populari cœperunt. J. Pollux l. 5. de rer: vocab: refert nec in Ithacensium insula nasci lepores, nec in Sicilia fuisse priusquam Anaxiles Rheginensis eos importasset. Erasm: Chil: 2. c. Ada, 1. 81. Aristotel. Rheto: l. 3. c. 18. Si quis aliquem aliunde ad se accersiverit, ac adduxerit, ut beneficium ab eo accepturus, deinde damnum ab eo acceperit, de se dicit: ut Carpathius leporem in suam regionem in suum damnum intulit, sic ego istum meum in damnum accersivi & adduxi. Ambo enim, passi sunt id malum.

11. *Carpathius testem.*

Carpathius testem. Καρπάθιος τὸν μάρτυρα. scil. ἐπηγάγετο, id est, accersivit aut adduxit. dicitur cum quis testem citat in suum ipsius malum aut pernitiem Junius c. 4. Ada: 74.

12. *Briareus.*

Briareus alias lepus. Βριάρεως φαίνεται ὢν λαγώς. Briareus apparet esse cum sit lepus. Competit in Thrasonicâ jactantiâ feroces, qui de se magnificè crepant, deque sua virtute, lepore timidiores cum res postulat. Junius c. 4. A. 70.

13. *Tute lepus es & pulpamentum quæris.*

Tute lepus es & pulpamentum quæris. Terent: in Eunuch: A. 3. s. 1. Sunt qui existiment, cum eo convenire, quod est, Dasypus carnes desiderat. Dictum est â milite glorioso in adolescentem Rhodium, qui scorto suo alludebat, ipse ea ætate, quâ scorti vicib' fungi posset. Obscenum quiddam esse ostendit Taubmannus in Amphit: A. 2. s. 1. in Sticho A. 5. S. 4. Donatus variis modis exponit. primum in molles convenire indicans: propterea quod lepus â posteriore parte, id est, lumbis & clunibus

bus pulpamentum, de se præbeat, eaq; corporis parte lautissim' sit. Deinde quod canes amatorum instar eum sequantur. Tertio quod lepus à multis physicis dicatur incerti sexus, modo mas modo fœmina, Sed videtur Proverb: à Græcis ut sup. c. 54, dictū est, promanasse, Erasm. Chil. 1. c. 6. Adag. 7. Binos lepores insectari. Duos insequens lepores, neutrum capit. Wer zu viel haben wil/dem wird zu letzt gar nichts.

13. *Binos Lepores insectari.*

Qui binos lepores una sectatur in hora,
Uno quandoq; quandoq; carebit utroque.

Dicitur de iis, qui pluribus rebus intenti neutram rectè persequuntur vel assequuntur. Fieri enim non potest, ut Xenoph: l. 8. de pædia Cyri inquit, ut qui multis utitur artibus, is homo omnia pulchre faciat.

14. *In leporinis carnibus vivere.*

In leporinis carnibus vivere. ἐν λαγῴοις ζῶ. In leporinis carnibus vivere dicebantur iis, qui lautè & in delitiis vitam agebant. Sic Plaut: in Bacch. A. 1. S. 1. Pistoclerus ad Bacchidem ait: ubi tu lepide voles esse tibi, id est, eleganter accipi & tractari. Quo & illud pertinet quod Callimach. in Dianam per λαγωβολίαν quamlibet ferarum venationem κατ' ἐξοχὴν intelligit.

15. *Lepus manibus indormit.*

Lepus manibus indormit. In segnes imbellesq;. Lepus enim animal timidum non facilè in obviis ac celebribus locis quiescit, Hinc Lysander suos milites, videns leporem fossam transilientem, ad victoriam incitavit.

16. *Lina effugit lepus.*

Lina effugit lepus. In eos qui instantia pericula evitarunt. Linon enim & velum significat & retia, idem ergo ac si dicas evasit retium ansas Rhodig. l. 14. c. 30.

17. *Lepus leonē trahit aureo laqueo.*

Lepus leonem trahit aureo laqueo. Natum ex eo, qui principem muneribus corruperat. Jun. C. 2. Ad 78.

18. *Lepus nidū suum prodit*

Lepus nidum suum prodit λαγὼς καθηγορεῖ τὸν αὐτοῦ φωλεόν: In eos qui se ipsos produnt quavis ratione. Jun. C. 3. A. 15. Lepus enim procursu, nidi sui inditium facit. Concordat cum Terentiano illo; suo ipsius indicio periit sorex.

19. *Leporem frōdium crepitus terret.*

Leporem frondium crepitus terret. Nazianzenus in dist. sententiosis, in illos qui levissimo quoq; terrore terrentur. Jun. C. 4. A. 8. Hic rectè locum habet illud, Æneid. 4. ab initio.

Degeneres animos timor arguit ———

Arduus enim & infractus animus, non commovetur rebus adversis & reflante fortuna.

Bove, cancro & testudine nemo leporem venabitur. Doctus nunquam vincitur ab indocto. W. Franzius de prop: anim. l. 19.

20. *Bove, cancro & testudine nemo leporẽ venabitur.*

Mortuo leoni lepores insultant. Si Græci ab Achille interfectum circumsistunt Hectorem, insultantes mortuo nec quisquam erat, qui extincto non aliquod vulnus infligeret. Sic enim Hom: Iliad. χ.

21. *Mortuo leoni lepores insultant.*

At reliqui Graii accurrunt cinguntq; cadaver;
Hectoris eximiam speciem formamq; stupentes:
Nec tamen astitit exanimi sine vulnere quisquam.

Quo timiditatem & μικροψυχίαν ab ingenuis bellatorib. omnino alienam perstringit Alciat. Emb: 15. Allusum autem est ad alia proverbia: jugulare mortuos: cum larvis luctari. Quibus monimur nequid maledicentia invitâ functos effundamus aut iis obloquamur. Chilo apud Laërt: l. 1. vetuit de mortuis malè loqui. Philostratus Ælianum coërcuit, qui accusationem Tyranni jam mortui scripserat. Demosthenes dixit: nemini mortuo maledicendum. Lycurgus hostium cadavera nudari vetuit. Vituperatur Alexander quod cadaveribus pontis loco usus sit. Rectè igitur Homerus Odyss: 10. Non sanctum est viris interfectis insultare. Virgil. l. 11. Æneid:

Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

Et Proper: l. 2. *Hac igitur mihi sit lepores audatia molles*
Excipere.

Leo prius nunc leporem agis λαγὼς βίον τῆς ὁ πρὶν ἀτέομ@ λέων. Homer: Iliad: In hominem delicatum, qui pristinam ferociam exuerit, id quod iis ferè accidere videmus, qui cum paupertate magnas opes, cum mendicitate, opimum sacerdotium commutarunt. Hi namq; ad subeunda arma, & pugnas intrepidi prius, nunc mollitie luxuq; enervati, in ocio delitescere, & Bacchanalia tractare malint potius, quã arma. Jun: c. 6. Ada. 86.

22. *Leo prius nunc leporem agis.*

Leporem capit cancer, Martemq; loripes. Gal: de prænot. Dion in orat: de gloria. Quo notatur nullum hostem esse contemnendum: nam sæpè à cane non magno necatur aper.

23. *Leporem capit cancer.*

Vulgata parœmia Gallorum: Veteres lepores & anseres dæmonum malorum sunt esca.

24. *Veteres lepores dæmonũ esca.*

CAPUT LVI.

Proverbia Germanica.

1. Sie schlaffen nicht alle/ die die Augen zu halten.
2. Du must Fuchß oder Hase seyn.
3. Der Hase wil allzeit dahin/da er geworffen ist.
4. Er bleibt bey seinen Worten/ wie der Haß bey seinen jungen.
5. Ich meynt es het mich der Haß geleckt.
6. Er hat ein Hasen Hertz.
7. Er warff das Hasen Panir auff.
8. Man kennt den Hasen bey den Ohren.
9. Der Haß steckt jhm im Busen.
10. Du weist viel wo der Hase streicht?
11. Viel Hund seynd der Hasen Tod.
12. Wer er einem Hasen so ehnlich als einem Narren / die Hunde hetten jhn långst gefressen.

CAPUT LVII.

Medicamenta ex lepore integro.

Ronssæus in venatione mox ab initio de lepore.

Sed quid te memorem lepus, aut quo carmine laudes
Decantabo tuas, quem tot natura benigna
Dotibus insignem fecit, tua membraq; cuncta
Reddidit humano generi medicamina? namq;
Pulpamenta cibus tua sunt, sunt pharmaca faces,

Et paulo post. *Sunt aliis sua dona quibus depellere possunt,*
Morbum aliquem, sed tu omnigenos lenire dolores:
Es potis, & corpus succo recreare benigno,

I. Cinis vel pulvis.

Leporis urendi modum ad calculum frangendũ habes apud Sylvium l. 2. de præpar. med. c. de ustione. Ronss. ita describit.

Integer accipitur lepus, & munda inditur ollæ, ac

Obstru-

Obstructæ, ne qua subtilis spiritus efflet,
Postea ferventi furno committitur, usque
Dum lepus in cineres versus, tenuesq; favillas
Quem cinerem confert mixto potare falerno.
Plusq; opis attuleris, cineres, dictasq; favillas
Sæpè lavans nuda pluvia, dehinc arte magistra,
Faces à salibus disjungens, postea mixtos
Ægrotis, si non febriant, cum munere Bachi
Porrige, sin nimio fervescant membra calore,
Ex unda leni salientis murmure fontis.

Dantur 3. ii cum aqua lepida. Confert ad lapidem generatum in renibus Rasis de anim: cap. 16. Lepus fusci coloris adversus quartanam datur Porta Phyto. l. 3. c. 11. Martio mense captus lepus, exsiccatus & pulverisatus, in nasum vel vulnus immissus ad hæmorrhagiam narium & aliarum partium facit. Plin. Mulletus in mysteriis medicis f. 127. Etiam qui sanguinem mingunt mire eos juvabis Matthiol. l. 2. c. 18. in Diosc. Marcel: de empir. med. c. 26. Gesn. de anim. integri leporis pulve. cohlear. 1. in calculo sumit, sed abjectis capite & intestinis. Galē. l. de rerũ dignot. & medi. Leporinus cinis cum oleo myrteo capitis dolores sedat Ronss.

Myrtaceo miscere oleo cineres leporinos
Proderit, urgebunt capitis si quando dolores.

Plin. l. 28. c. 11. Alopecia quoq; medetur. Ronss. in suo lepore.

Si capitis cutis est glabra, aut nudata capillis,
Quem morbũ medici vocitant de nomine vulpis,
Quo soleant vulpes illo ægrotare frequenter.
Exusti cineres latici miscentur olivæ,
Cui fuerint immersa prius nigra semina myrti,
Atq; locos vacuos ungunt hoc unguine, donec
Excrescant iterum crines calvam decorantes,

Prodest etiam pulvis hic ad ulcera oris, ut idem docet.

Oreque si lateat putitum ulcus, sive parulis
Imponas cineres usti capitis leporini
Mixtos arte prius nardo, æquo et pondere mellis.

2. Pili.

Pili leporis suffiti extrahũt ex pulmonibus difficiles excre- *Pili.*

ationes. Plin. l. 20. c. 12. Gesn. de anim. Refrigeratis etiam locis conveniunt. Erumpentis sanguinis impetum sistunt. Fernel. de abd. l. 1. c. 1. Ronss.

Sanguine si madeant nares, ullo neq; sisti
Ingenio possit fluxus, tum vellere oportet
Sub cauda albentes, aut imo ventre capillos,
Atq; illos glomerare prius, post indere nari.

Pili combusti etiam in cicatricibus pilos educunt. I. de Dondis t. 3. de decoratione. Ex leporino crure vel lana exusta, ex Diosc. fit medicamentum ad alopeciam. Porta Phytog. l. 3. c. 35. Dolores colicos mitigat; intestinorum vitiis prodest leporis pilorũ cinis cum melle decoctus. Plin. l. 28. c. 14. Ronss.

Si flatus, pituita tenax, stercusque retentum,
Excitet ingentes color patiente dolores,
Viventem obtulerit quoties fortuna lepusclum,
Extemplo niveos, qui sunt sub ventre capillos,
Aut cauda evellas simili quoq; dexteritate
Detrahe comprensum talum, vivumq; remitte,
Hinc iterans varios nexus compone ligamen,
Ducere quo possis circum perizomate corpus
Innexum talum, subitoque dolore levabis.

Pili qui sub ventre habentur, ut Marcellus autor est, cum melle decocti & fabæ quantitate frequenter devorati rupta intestina conglutinant: etiamsi læsi in gracilioribus fuerit intestinis. Verum assidue hoc medicamento utendum est, donec periculum omne tollatur. Matthiol. in Diosc. l. 2. c. 18. Ronss:

Si morbo casuve aliquo intestina dehiscant
Rupta, pilos leporis commixto melle redactos
In parvos globulos sumas, sensim coalescent.

3. Pellis.

Pellis. E pellibus leporinis chirotecæ & tibialia fiunt, illis qui ex frigore. vel aliis caussis articulorum dolores sentiunt. Gesn. de anim. Pellem leporis recentẽ in olla munda, vel tegula, ita cum lanâ suâ cõbures, ut in tenuissimũ pulverem redigere possis, quẽ cribratũ in vase nitido servabis. Inde cum opus fuerit tria cochlearia in potione dabis bibenda, quæ res sive calculos, sive vesicæ

dolores

dolores continuò compescit. Sed multo potentius erit medicamentum, si leporem vivum in olla nova claudas, & gypso omnia spiramenta vasis obstruas, & in furno usque ad favillam tenuissimam cremes, tritamq; & cribratam recondes, atq; inde certas mensuras in potione vini offeras calculosis, & qui sanguinē mingunt, mirè eos levabis. Porta Phytog. c. 26. Pellis leporis lacte cocta, pudendis calidè admota secundas extrahit. Leporis sanguinē & pellem totam in latere combure, & cinerem in aquâ calidâ jejuno dato, mox lapidem franget & ejiciet. Experimentū hujus habere si volueris, mitte in aquam cochlearium pulveris, & lapidē quemcunq; volueris, statim liquescit. Sextus de lepore. Ronsseus etiam somnum provocare ait.

Allicit & somnum coccyx, si pelle lepuscli.
Implicitus quavis patientis parte ligetur.

4 Caro

Caro leporina generat sangvinem crassum generativum, choleræ nigræ desiccat & non subtiliat & valet contra dolorem viscerum, abscindit fluxū ventris & ulcera intestinorū. Si comedatur assa in furno aut sub patella operatur idem. Rasis l. 1. de anim: l. 16. Ad maciem inducendam facit, ut macilenta omnia. Blondus. Durities leporinæ carnis facit, ut sero parumque nutriat, quod dura omnia faciunt; eademque durities evidentis siccitatis indicium est, ex Galeno: cui Psellus & Paulus subscribunt. Recolligens Simō Sethi quicquid ab antiquis scriptum inquit: carnes leporis his qui corpus extenuare volūt valde conducunt Porta Phytog: l. 1. c. 14. l. 5. c. 7. Leporis caro calida & sicca Avic; l. 2. t. 2. c. 145. alibi tamen frigidam & siccā facit Jacob de Dondis l. 1. virtu. medic. Eligantur juvenes & adolescentes, & capti per venatores, præstant juvamentum his qui sunt superati à pingvedine, non sunt difficilis digestionis & licet sapidiores sint assatæ, saniores tamen sunt elixæ carnes. Inducunt vigilias, stringunt ventrem, & ideo dysentericis conferunt, urinam movent, ideo patientibus stranguriam valēt. Savanor. de reb: natur: t. 2. c. 8. rubr: 29. Carnes leporinæ si assatæ assumantur dysentericis conferunt Ras: c. 40. de anim: Somniculosa animalia ceu lepus, sus, herinacius, ursus, alliciēdo somno Caro.

mno propinantur. Porta phytog: l.1.c.16. Somnos fieri lepore sumpto in cibis Cato arbitratur. Plin: l.29.c.19. Hinc fortassis Gnosii Epimenidis somnus quē annis quinquaginta septē durasse fama est, ob carnem leporinā, qua usus est. Prodest Epilepticis Gal: l. de puer: epilept: Jus carniū leporinarū podagrā & arthriditem sanat: ut jus vulpium. Hortus sanitatis de lepore.

5. Sangvis.

Sangvis. Sangvis leporis si calidus illinatur, vitia cutis in facie, vitiliginē, lentiginesq; sanat Diosc: l.2.c.18. Wecker: antid: special. l. 1. c.24. Si ungantur maculæ nigræ, umbrosæ cum sangvine leporis removentur. Rasis. 1. de anim: c. 16. Lepus punctis maculisque nigrioribus interstinctus ob id perecnon dictus, perunctus ejus sangvis lentigines & fucos pellit, panos & sugillata delet ex Sereno & Sexto Port. Phytog: l.5. c.16. Ronsseus.

Tota cutis quando est variis conspersa lituris
Quas alphos dicunt, confert cruor additus unda
Lenai tepidus potus: sunt qui mage laudent
Si loca sapè linas leporino sangvine fœda.

Sangvis calidus panno faciei prodest Avicennas. Serapio morpheam mundat. Pannus lineus sangvini leporino mense Majo inditus, ubi vivus dissectus fuerit neq; humectatus & per se exsiccatus erysipelata curat. Frixus fluxum ventris sistit. Avicē: Plin. l. 28. Ad huc calens cū hordeacea farina decoctus ac devoratus dysentericorum profluvia sistit. Leporino sangvine lapides cōminui scribit Scaliger E. 344. l.8. Ut hircinus cum aqua calida bibitus frangit lapidē Constan: de anim: c.4. Rons. in lepore.

Sangvis ad huc lepidus lumbis circumlitus ægris,
Auerit extemplo lapides, ac corpore pellit.
Ore alii sumptum potius conferre putarunt:
Condidit hinc urnis illum, ficeumq; vetustas
Contrivit, tenuiq; dedit cum rore Lyæi.
Hunc alium injectum vesica per catheterem,
Commendant potius natura munere certo,
Quod dicant lapides leporino sangvine rumpi
Si triduum injecti testa, cen rore madescant.

Leporis.

Leporis sangvis facit ad conceptionem Galen. in euporisto. Porta Phytog: l.7. c.1. carnem & sangvinem leporis & cuniculi ad memoriam valere scripsit. Ubi evulsos pilos renasci volunt, illinunt. Plin. l. 28. c. 19. Valet etiam auribus, dentibus, morsibus venenosis, fluxui infantum, mammarũ tumoribus, strumis & lentigini vultus Constant: de anim: 3. Torminibus etiam medetur juxta Ronsseum.

Si pariant magnos cruciatus termina sæva
Defluit aut nimium cruor, aut muceago cruenta,
Fictilibus sangvis leporis vel sindone munda
Servatus datur, aut tepidus jamjam jugulati.

Intestinorum quoq; humiditati convenit.

Quod si contingat nimio intestina gravari
Humore, ac metuas alvus ne fluxa sequatur,
Dant rutilum sanguen leporis, carnesq; calentes
Commiscent trito farri, mandantq; vorari.

6. Pingvedo seu adeps.

Pingvedo leporis inuncta lentigines delet. Forest: lib. 31. O.3. Cum floribus fabæ extrahit spinas, tela & alia: clavos & aculeos carni infixos, præsertim additis contusis cancris Gesn: de anim: Cardiacis non inutilis ex Ronsseo. *Pingvedo, seu adeps.*

Cardiacis quoties pro manat corpore sudor,
Non secus ac si quis tepido residens hypocausto
Diffluat, ac variis distillent fontibus unda,
Tunc adipem leporis timidi conjunge falerno,
Vel potius tritum in cineres cor. deinde bibenda
Porrige, paulatim vires in membra redibunt.

Adeps leporina inuncta cervici sistit omnem hæmorrhagiam. Illita linteo longitudine digiti unius & latitudine: transversi apposita cervici capitis, secundas ejicit, & partum accelerat à partu ocyus removenda.

7. Pullus exectus.

Restibili fœcunditati succurrit pullus exectus. Ronsseus. *Pullus exectus.*

Conceptus gravidâ leporis detractus ab alvo,
Effætis uterum faciet turgere virili.

Semine gustatus cum cessat menstruus imber.

8. Caput.

Caput.

Caput leporis exustum & cum adipe ursino aut aceto illitũ, alopeciarum manitatibus medetur. Diosco: l. 2. c. 18. Rasis l. 1. de anim. c. 16. Galen: de simpl: med: faculta: l. 11. Aëtius l. 1. s. 2. c. 155. Serap: de temps: c. 316. Avenzoar scribit, caput leporis in aqua cum oleo & sale coctum, atq; à tremulis manducatum, tremorem solvere. Ronsseus scribit oris vitia sanare.

Oraq; si lateat putidum ulcus sive parulis
Imponas cineres usti capitis leporini.
Mixtos arte prius nardo, aquo & pondere mellis.

9. Auris.

Auris.

Detrahitur pellicula interior ex leporinis auribus, eaq; imbuatur lacte muliebri bono recenti, & clausis oculis madida aliquoties applicatur: est anodynon oculorum egregium. Aufert auris leporis vigilias Ronsseo sic canente.

Si variis curis morboq; exercitus ager
Traducat vigiles totas noctesq; diesq;
Nec queat ad somnum dulci modulamine flecti,
Et frustra saliens levi:sum murmure rivus
Prætereat surdas aures, frustraq; recurrat,
Auriculas vivo lepori resecare memento.

10. Cerebrum.

Cerebrum.

Cerebrum leporis coctum & inassatum, detritum comestumq; infantium dentitionibus utile esse fertur. Paul. 7. c. 3. Serap: de temp: simpl: c. 316. Plini: l. 28. c. 15. Ronss.

Quod si discrutiat pueros dentitio sæva,
Gingivas teneras molli refricato cerebro,
Id quoq; conjunctum candenti lacte capellæ.
Illinitur malis: avido vel gutture sumptum,
Fixius hærentes dentes expellere suevit.

Leporis cerebrum in vino utiliter bibitur ab eo, qui vesicæ molestiis laborat Marcell. c. 26. Ad incontinentiam urinæ occulta qua-

tâ qualitate prodesse ait Weck. Syntax. l. 2. p. 2. leporis cerebellum siccum potatum ex vino. Sextus de remed. ex anim. c. 19. Ronsseus.

Si tibi curandus veniat submejulus unquam,
Præcipiti & nimium cursu si urina recurrat,
Nec vesica moræ perduret tempora sueta.
Tam leporis timidi niveum potasse cerebrum
Convenit ex vino, testesq; vorare salaces.

Compertum est leporis cerebrum in frigidis cerebri, & nervorũ morbis utiliter comedi, in quo vulgaris ista regula, omne par juvari à suo pari, locum habet. Nam ab aliorum animalium cerebris, potissimum non adultorum minus beneficii expectandum. Sed leporis cerebrum peculiari beneficio paralyticis, convenire affirmant, assum comedi potest conditum cinamomo & nuce moscata atq; ita medicamenti loco, etiam jejunis mane ante cibum datur. Miscetur quandoque hujus gratia conservis salviæ, roris marini & id genus aliis medicamẽtis. Solenand. Cons. 14. l. 2. Manditur juvandis tremoribus qui valetudine cõtracti sunt. Gal. de simp. med. facul. l. 11. Rasis de anim. c. 16. Dioscor. l. 2. c. 18. Serap. de tempera: simpl. f. 3. c. 316. Marcell. in Diosc. l. 2. c. 18. Syntax. Weck. l. 1. p. 3. Marcel. de remed. Emp. c. 26.

11. Medulla.

Infixa corpori leporis medulla extrahit. Ronsseus. *Medulla.*

Si membris telum vel spina tenacius hærens
Concitet ingentes puncturas, atq; dolores,
Nec queat evelli profundo è vulnere, confert
Exuvias anguis leporis miscere medullæ,
Vngere & his vulnus, dum sensim spina revulsa
Liberet immensis, tandem cruciatibus ægros.

12. Pes.

Pes lepori vivo amputatus & alligat⁹ ad podagram: vel ejus partibus quæ dolebunt, plurimum prodest. Plin. lib. 28, c. 16. Marcel. de med. empy. c. 36 Ronsseus. *Pes.*

Si premat articulos gravis inflammatio, vel si
Sit tumor aut dolor, aut sit nodosa podagra.

Vel teneris manibus nimium chiragra molesta est.
Aufertur vivo lepori pes, qui studiose
Gestatur, tollet podagræ quoscunq; dolores.

13. Ossa seu talus.

Ossa seu talus.

Ossa parvula quæ inveniuntur in prioribus leporis pedibus ad urinas potenter movendas prosunt, si pulvis illorum cum vino albo exhibeatur. Weck: antid: spec: l. 1. f. 22. Ossiculum, quod in poplite posteriore arenulas deturbat Fernel. de abdit. rer: caus: l. 1. c. 4. Qui talum leporis secum habuerit subitum dolorem ventris nunquam incurret. Plin. l. 28. c. 14. Marcel. c. 27. & 28. Ventriculo subligatus dolorem ejus excludit. c. 20. Ridiculum quid de codē vide cap: 29. Lepori vivo talū abstrahes pilosq; ejusdē sub ventre tolles, atq; ipsum vivum dimittes: de illis pilis vel lana filum validū facies, & ex eo talum leporis colligabis, corpusq; colicâ laborantis præcinges, miro remedio subvenies. Ad felicitandum partum conferre scribit Ronsseus.

Si talo in tenues atomo trito cinamomum
Adjungas, viniq; parum prodesse putatur
His quæ completo pariendi tempore vixdum
E cæcis latebris possunt excludere fœtus.

Idem in sangvinis excreatione laudat.

Fortuito casu si quis prolapsus ab alto
Disruptis venis oculos cancri, talumq; minutim
Quis courmi adjungunt, & butyra pingvia vaccæ.
Exhibuere alii talos cum nectare vitis.

Ad colon quoq; utilis, de quo vide supra de pilis. Et scrophis ventris non inutilis talus, Ronsseo teste.

——————ventris sanatur torsio tali.

Item ad dentium dolores.

Dente doles, confert auri instillasse coaglum, aut
Osse acui simili gingivas scarificare,

14. Dens.

Dens.

Qui habuerit dolorem dentium & posuerit, ex dentibus leporis in parte ubi dolor fuerit, aufert dolorem. Rhas: de anim: c. 16.

c. 16. Dentes lepori vivo excisi mense Martio annulo concavo argenteo inclusi, ut carnem tangant calefacti à digitis partum promovere certissimo experimento dicunt.

15. Cor.

Cor leporis recenter mortui collo suspensum, vel brachio sinistro occultâ qualitate quartanam sanat. Sext: Kirandus dixit, si cor leporis ligetur in panno bilino & ligetur ad collum, quartanarios perfectè sanat. Varingna: de cutan: feb: l. 1. c. 4. Synta: Weck: l. 3. p. 2. Lepori cor maximũ adversus quartanas, fimi bubuli cinere cõsperso puerorum urina illinunt pedum digitos manibusq; leporis cor alligãt: coagulum ante accessionem propinãt: Porta phytog: l. 3. c. 46. Cor recens collo suspensum quartanas curat: siccatum tritũt, & bibitum muliebres dolores tollit: caducis convenit. Constan: c. 3. Sext: de lepore. Gesne: de anim: Cordis leporis erasa pars, & cum thuris manna trita, ex vino albo potui datur per dies septem mirificè prodest ad caducos. Hic vero qui sæpius cadunt diebus triginta detur crescente luna, quotidie in potione debet conditi cum vino. Sextus de lepore. Cum aqua calida & terra Samia prodest mulieribus profluvio nimio laborantibus. Idem. Prodesse etiam cardiacis sup: de pingvedine, dictum est. Sangvinem excreantibus remedium est, Ronsseo teste suppressis mensibus convenit. Cor.

Menstrua dum cessat famellis fluxio, prodest
Cor leporis potum dulci cum nectare vitis.

16. Jecur.

Jecur arefactũ jecinorosis utiliter exhibetur potandũ si ex eo sumat hepaticus pondus. 31. Rasis l. 1. de anim: c. 16. Ronsseus. Iecur.

Hepaticis siccum leporis jecur est medicina.

Profluvia jecur cum Samia terra ex aqua potum curat. Plin: lib. 28. c. 19. Immodicos menses sistit: Ronss:

Immodico fundat si matrix impetu menses,
Continuo madens humorem excernat aquosum,
Suscitet aut salsum distillans phlegma dolores,
Excrutietq; cutem teneram, stercus leporinum.

L 2 Suppo-

Supponas siccum: leporis sed temperet hepar
Terra tibi Samia, & gelido cum fonte bibendum
Porrige.

17. Fel.

Fel. Fel leporis melle albo iunctum valet contra albuginem oculorum & clarificat visum Constan. c. 3. Rhas. cap. 16. Porta Phylog. l. 5. c. 27. Saccaro exceptum oculorum argemas nubeculasq; delet. Matthiol. in Dioscor. l. 2. c. 18. Ronsseus in lepore.

——— oculos hebetat caligo, iuvabunt.
Saccara commixta aquali cum pondere fellis.

Ad eos qui vertigine vexantur hac ratione commiscetur leporis fel & jecur mustelæ dragmis tribus, castorei drag. 1. myrrha drag. 4. hæc omnia aceto optimo colliguntur & inde datur 31. ex aceto, mulso, melle aut passo Sext. de lepo: Vigiliis adhibetur à Ronsseo.

Aut illi potius fel propinabis amarum.
Cum vino drachma pondo, subitoque quiescet,
Nec prius evigilat, quam paulum sumpsit aceti.

Surdis quoque propinat.

At quoties illas viscosior obsidet humor
Surdastros faciens, leporis tunc jungere confert
Fel melli hyblæo, corioque cava indere cape.
Postea cum fuerint ignis tepefacta calore,
Commiscentq;, teruntq; simul, post auribus indunt.

Elephantiasi quoque prodesse vult.

Horrida si scabies Elephantis nomine Gracis
Dicta, cutim laniet, sæva & prurigine corpus
Afficiat, plaga fella instillare memento.

18. Pulmo.

Pulmo. Pulmo supiriosos juvat Fernel. de abd. rer. causs. lib. 1. c. 4. Refrigeratis pedibus cito impositus optimũ remedium. Gesner: Super oculos positus omnes dolores tollit. Constan. de anim: c. 5. Ad perniones & pedes à calceis læsos affert remedium frequẽter adhibitus Sext. de lepore. Marcel. in Diosc. l. 2. c. 18. Vulvam adjuvat pulmo aridus potus Plin. l. 28. c. 19. Ronss.

Quin

——— Quin ex vino pulmo aridus haustus
Roborat humani generis latibula prima.

Pulmo leporis salitus, & coagulum cum thure & vino per triginta dies Epilepsię prodest. Plin. l. 28. Ronss.

Aut sale servati pulmones thure sabao
Immixti hoc facient, potati ex amne falernō.

19. Ventriculus.

Ventriculus

Ventriculum leporis cum suo fimo, vino veteri lavabis ita ut sordes ibi sint & misceantur; aut si in ventriculo non inveneris, pillulas de fimo ipsius impares numero tritas, cum vino veteri disenterico dabis bibendas Marcell. c. 27.

20 Coagulum.

Coagulum.

Leporis coagulum omnium præstantissimum; excipitur antequam aliud quodquam præter lac maternum degustaverit: tribus obulis ex vino propinatur. Weck: antidot: spec. l. 1, c. 27. Miror Rubeaquensem medicum qui in Æginetam c. 46. in hædo præcipue laudat in lepore nequaquam: cum tamen à plerisq; laudibus evehatur maximis. Coaguli leporis vis inest maxima dissolvendi & est acerimū viribus, Jacchin: in 9. Rasis c. 36. Optimum coagulum est leporinum, dissolvit omne coagulum cum aptis ad hanc rem medicamentis potum, sangvinem in ventre in grumes concretum. Aëtius. l. 1. s. 2. c. 105. Avicen: l. 2. t. 2. c. 118. Cum aceto comitialē sanat, coagulatū & concretū sanguinē dissolvit epotum Galen. de med: simpl: l. 10. Langius, l. 2. E. 31. Ægineta. l. 3. c. 31. Coagulata resolvit liquida coagulat, prohibet omnem fluxum sangvinis. Avicen: l. 2. t. 2. c. 118. Cum galla sumptum fluxui ventris confert. Sextus. Retinet ventrem Avicen: l. 3. F. 16. t. 1. c. 4. Alvum sistit in vino ciceris magnitudine. Serap: Plin. l. 28. Aristoteles de anim: l. 3. c. 21. Leporum coagulo illito ubere, sistitur infantium alvus Plin. l. 29. c. 19. Galenus commendat coagulum leporinum aceto dilutum & potatum in dissolvendo sangvine grumefacto. Mercurial. de morb. mul: l. 3. c. 5. utitur una cum cymino & vino tanquam subitaneo & maxime præsentaneo medicamento. Cum aceto facit contra animalia venenosa, præsertim lac concretum & viperarum morsum. Galē:

de curat. per sang. missi. circa finem. l. 5. method. meden. cap. 4. Diosc. l. 2. c. 18. Forest. l. 30. O. 11. Adversus taurium sanguinē & herbas noxias. Sextus de lepore. Utuntur coagulo leporis ex aceto cōtra scorpionē & murem araneū. Ajunt nō feriri leporis coagulo perunctos. Plin. l. 28. c. 10. Propterea contra venena additur antidotis. Quando bibitur cum aceto, confert epilepticis, & est Bezoar omnibus medicinis mortiferis, & proprie lacti coagulato in stomacho, & morsui viperæ. Serap. de temp. simp. c. 316. Plin. l. 28. Avicen. Sextus. Tribus obolis ex vino sumptū venenatorum morsibus, cæliacis, dysentericis, fæminis fluxione sanguinis vulvę laborantibus, rejectionibus à pectore auxiliatur, sanguinem in grumos concretum discutit. Potum partus necat, pariendi spem adimit à puerperio sumptū. Syntax. Weck. l. 1. p. 3. Antid. specia. l. 1. s. 27. Excreationi cruento subvenit Ronss.

Pulmone affecto si sputa cruenta screantur
Myrtea vina dabis, quis mixta coagula, gleba
Quam sacra Junoni nobis Samos insula mittit.

Sanguinem cum coagulo leporis bibat mulier & concipiet: vir bibat ejus coaguli obulum unum aut duos, fæmina quadruplum & concipiet: sed coagulum sit leporis masculi. Ronsseus.

Quin etiam per se præstabunt lenta coagla
Conjugibus sumpta: usq; adeo vis magna coagli est.
Ut si ullo tantum genitalia membra maritus
Confricet, ac coeat posthac cum conjuge chara
Emittet semen multo fœcundius unquam,
Quam fuerit fœtu complens penetralia vulvæ.

Secundis remorantibus juxta eundem salutare remedium.

Calcibus at feriens si rumpat vincula fœtus
Et tandem in lucem veniens sua tegmina linquat
In matris gremio (medici dixere secundas,
Quod veluti fœtus sint vestimenta secunda)
Tunc timidi leporis potare coagula refert.

Leporinum coagulum post triduum à concubitu potum, conceptum adimere partusq; spem intercipere proditur: vulvæ & alvi fluorem sistit: comitiales juvat: contra venena ex aceto bibitur, præsertim adversus concretū lac & viperarū morsus. Diosc. l. 2. c. 18. Serap. de temp. simpl. c. 316. Valet etiam aurib, dentibus, mamma-

mammarum tumoribus, strumis. Constant: de anim. c.3. Serap. de temp. simp. c.316. Si gravitas audiendi, coagulum leporis tertia denarii parte, dimidiaq; sagapeni in Aminæo vino. Porta Phytog. l.5. c. 40. ex Sexto & Plin. l. 28. c. 11. Leporina coagula per aurem infusa contra dolores & capitis: eorum cinis dentifricium est, adjectoq; nardo, mulcet graveolentiam oris. Ibid. Torminibus satis est remedii in leporis coagulo poto è vino tepido Plin. l. 28. c. 14. Dentium dolorem quoque sedat instillatum, ut supra de ossibus dictum est. Quartanam aufert juxta Ronsseum.

Ante paroxismum & sumpsisse coagula confert.

Et juxta eundem hæmorrhoibus.

Podice turgentes manant si sanguine venæ
Fædus, & exuvias maculet sine fine resudans
Humor, & hunc prohibent jam dicta coagla fluorem

Hydrophobia quoque.

Si cane de morsus rabido formidine inani
Captus aquæ est, rictusq; canis sub imagine falsa
Alterius veritus retrahat sitientia labra
Extemplo poterunt leporina coagula morbum
Pellere, si mulsæ dulci commixta bibantur.

Cardiacis quoq; prodest, ut supra in adipe seu pinguedine audivimus. Exulceratis confert. Plin. l.28. cum vino Sextus. Ad cogendum lac optimum, quia lactuosis vescuntur herbis Porta Phytog. l. 2. cap. 7.

21. Intestina: stercus.

Stercus leporis cum vino temperato emplastri loco adpositum inter trahentia materiam schiaticam ad circumferentiam, atq; inter dolorem sedantia numeratur. Forest. lib. 29. O. 22. cum vino calido convenit dolori colico. Synta. Weck. l. 2. c. 2. Leporini stercoris pilulas septem tere, & cum dulci vino per triduum da bibendum. Marcell. c. 29. Ronsseus. *Stercus.*

——— pilulæ quoque stercoris ejus
Septena ex vino sumpta vires recreabunt.

Et paulo post coxendicis dolores lenire ait.

Si occulto morbus lateat coxendice tantum,
Ex vino faces leporis prodesse putantur.

Ad in-

Ad intestina rupta leporinum stercus, atq; etiam pili, vel lana ejus de subventrili cum melle decocta ad magnitudinem fabæ glutienda frequenter data ruptis, intestinis celeriter medetur. Marcell.c.28 deploratos etiam sanat. Plin: l.28.c.14. Leporinus fimus dissentericis prodest Matthiol. in Dioscor: lib. 2.c.18. Ambustis impositus sanat. Gesner. de anim: Ronsseus.

Ast aqua dum fervet, partem si corporis ullam
Usserit, extemplo capræ stercus leporino
Junge simul navus, post partes illine læsas.

Liquefactum cum aceto, si eo inungatur impetigo, curat eam: Ligatum super mulierem non concipit, dum tenuerit, gestatum enim conceptum impetit Matthiol: in Dios: l.2.c.8. Rasis l. de anim: c.16. Et simul conceptioni utile Ronss:

Smegma parant alii leporis de stercore, savum
Cui bovis est mixtum, quo usu poscente linuntur
Partes obscenæ, huic Veneris commercia miscent.

Et si ex ea modicum posueris in vulva, removet ab ea menstrua & siccat matricem. Rhasis de anim. c.16. Matthiol. in Dioscor: l.2.c.18. Ronsseus supra de hepate. Flatus uteri quoque discutit eodem autore.

Quando uteri nimiis distenti flatibus urgent,
Siccatum stercus bibitur cum nectare vitis.

Tussim similiter sopit.

Si pituita petens summo de vertice fauces,
Excitet atroces tusses, tum vespere poti
Ex vino prosunt cineres fecis leporinæ.

22. Renes

Renes. Renes crudi, præsertim adhuc calentes devorati, aut cocti, aut sicci, cum vino potati, lapidi & arenulis conferunt, & renum dolores mirificò sanant. Plin.l.28.c.13. lapides pellunt Matthiol. in Dios: l. 2. c. 18. de inveteratis tritisq; idem testatur Plin: l.28. c.15. Constanti: de anim: c.3. Sextus de lepore. Rons: quoq;

Siccati renes lapides quoq; pellere possunt
Potati: sed si renes tentuntur acuto
Morbo, confestim crudos renes leporinos
Assumat caveatq; illos contingere dente.

23. Testiculi.

Testiculus aridus sive siccus tritusq; cum vino potus urinæ incontinentiæ occultâ qualitate succurit. Syntax: Weck: l. 2. p. 2. Galen: de remed: facil: parabil: Vesicæ tollunt cruciatus & molestias. Matthiol: in Dios: l. 2. c. 20. Marcell. c. 26. Plin: l. 28. c. 15. Dolori lumborum medentur Rons:

Si lumbi doleant, gravis aut coxendice morbus
Hæreat, ægrotus jejuno mandere curet
Ventriculo testes ———

Hos si mulier biberit post menstruas fluxiones, concipiet masculum: Const: de anim. 3. Ronsseus.

——— *isthac quoq; pollent*
Vt testes, leporis mixtumq; cruore coaglum.

24. Matrix.

Matricem leporis sicca, tere & cum vino da potandum, quando mulier fuerit à menstruis purgata, concipiet: vel leporis uterũ frige, tritumq; assiduè propina, ad conceptionẽ plurimũ valet. Sextus de lepore. A viro & uxore bibita concipiet masculum. Si sola mulier biberit, nec virilis nec fæmineus erit. Constan: de anim: c. 3. Leporum vulvas & testiculos quidam medici pollere putant ad coitum in viris, conceptũ in mulieribus. Porta Physig: l. 3. c. 44. Forestus. l. 28. O. 58. Ronsseus in lepore.

Irrita conjugibus Veneris certamina sisint,
Et steriles coitus, nec lecti pignore chara
Succedant, leporis frustatim vulva terenda est.
Et postquam solito maduere madore locelli,
Fœmina virq; bibant immersam rore Falerno,
Descendantq; citi in veneris certamina læta,
Concipiet, justo & revoluto tempore fœtus
Vagiet exclusus cunis.

25. Georgius Pictorius in leporario c. 10. multa conjunxit.

Quandoq; lepus timidus sexum permutat in annos,
Dicendus variant Hermaphroditus erit.

M *Belluis*

Belluis est cunctis ter maxima, crede, rapina,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.
Hicq; homini prabet multarum commoda rerum.
Alpes quem mittunt candidulum leporem.
Nam leporis mandit carnes qui mire velocis
Formosus septem recte diebus erit.
Irrita coniugii sterilis si munera languent:
Fac leporis vulvam famina quod comedat.
Sic natura potens medicamine victa salubri,
Dat fetus, lecti pignora quippe tui.
Et teneris cerebrum gingivis perlue gnati
Quem dens excruciat morbifer usq; malè
Si ladum medica data purgatoria dextra.
Da leporis sanguen, qui cito sistet anum.
Doctus nodosam qui vult curare podagram,
Exhibeat leporis juscula cocta citi.
Sed dolor immeritum lumen si forte lacessit,
Pulmo fera poterit noxia proscribere.
Lathali qua grassatur quartana calore.
Cor tritum leporis postulat ista sibi.
Aut bonè dasypodis diluta coaglula morbum
Hunc tollunt medica, crede parat manu.

Formosum facit caro. Facunditatē facit vulva Dentes facile istat crebrū. Fluxū sistit sanguis. Podagram curat decoctum. Oculis prodest pulmo. Quartanā pellit cor.

26. Medicamenta ex lepore composita.

Emplastrum extrahens globos, plumbeos & ferreos.

℞. baccar: junip: radic. bryonię albę, aronis, polypodii ℥ij raphani orbiculatim incisi & aere exsiccati ℥ij Scolopędriæ ℥j terantur & misceantur adde adipis leporini ℥ij dissol. adde pulve: diachyl. ℥ij ß petrolii ℥ij fiat emplastrum illinendum pelli leporinæ hirsutæ & imponendum foramini.

Aqua pretiosissima contra calculum & experimentis plurimis probatissima.

℞ pulve: ex lepore Martio vivo integro calcinato ℥j ß ta-

lis

lis leporinis ʒij Rhebar: baccarum hæderæ ana. ʒj. baccis junip: ʒij fœniculo, aniſo, liquiritia raſa ana. ʒiij ß. lapide Iudaico cote remolito ℥ij ß. radic: azari ℥ij Ariſtolo: ℥j Saxifragia, hircinæ, cardopatiæ ana. ℥ij Zinzeb: cinnamomi, galanga, macis ana. ℥ß. Mithridatu ℥ij ß: ſem: urticæ, occulorur 69. viv: extract: ſemi: ſaxifragiæ, hyperici ana ℥ij ſem: petroſel. ℥j ß. ſem. raphan: ℥j ß ſem: milii ☉ ℥ij cine. geniſtellæ ℥j ß. Cortic: fraxini. ſaccari candi, corti: caſſiæ ana. ℥ij ædicul: teſtudinum ℥j ß ſem: apii rad. hirundinariæ ana. ℥ij vini aduſti rectif: menſuras iij. pulveriſ: macerentur per 14. dies vaſe. probè obturato, quotidie agitentur, poſtea deſtill: per arenā lento igne. ſervetur ad uſum.

Hæc duo ſingularia medicamenta, ab Excellen: Vito. D. I. Conrado Rhumelio Poëta & Utriusque medicinæ Doctore Clariſſimo, amico plurimum honorando communicata ſunt.



Elenchus & argumenta capitum.

Timi-

Elenchus Autorum, quorum testimoniis usus est autor in hoc opere.

A.

Aben Esra.
Achmes.
Aëtius.
Ægineta.
Ælianus.
Alciati Emblemata.
Apomaser de insomniis.
Alexander ab Alexandro.
Apulejus.
Aratus.
Arateus.
Archelaus.
S. Ardoynus.
Aristoteles.
Artemidorus.
Athenæus.
Averroes.
Avicennas.
Andronicus.

B.

H. Barbarus in Plinium.
Bibita.
Blondus.
Bodinus theatr. naturæ.
Bonamicus de alimento.
Republica.
Bnuting.

C.

Cæsalpinus de plantis.
Calcagninus.
Camerarii fabulæ.
Opera subcesiva.
Problemata.
Capivaccius.
Cardanus de aëre aquis &
insomniis.
subtilitate.
varietate.
venenis.
Casmanni Sematologia.
Catullus.
Casaubonus in Athenæum.
Celsus.
Chalderinus.
Corpus iuris.
Constantinus.
Cornificius.
Ctesiæ excerpta.

D.

Dalemchampius.
Decimator de stellis.
Delrio de magia.
Democritus.
Demosthenes.
Dion.
Dioscorides.
Dodonæus de herbis.
I. de Dondis.
Donatus.
Daubmannus.

E.

Erasmi Adagia.

F.

Fernelius.
Festus.
Firmius.
Forestus.
Franzius.
Freigius.

G.

Galenus.
Georgius Pictorius.
Gellius.
Gesnerus.
Gifanius.
Grapaldus.
Gratalorus.
Grevinus de venenis.
Gomara.

H.

Hegelander.
Herbutus.
Hermo. Barbarus in Plinium
Dioscoridem.
Herodotus.
Heurnius.
Horatius.
Hippius.
Hyppocrates.
Horapollo.
Horus.
Hortus sanitatis.
Humelbergius.

I.

Iacchinius in p. Rhasis.
Ioan. Conrad, Rhumelius.
Ioan Hugo.
Ioan Titius de reb. Gall.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Cæsar.
Isaac de diætis.
Isidorus.
Iunii Adagia.

L.

Laverius.
Langii Epistolæ.
Lampridius.
Lucianus.
Lucius.
Luidprandus.

M.

Macrobius.
Majolus de diebus canicu-
Manardi epistolæ. (larib.
Mantius.
Marcellus Virg. in Dioscor.
Marcellus de empyricis.
Martialis.
Matthiolus.
Mercurialis varia lectioi
de decoratione.
de morbis mulier.
Meursius.
Monteani: in politic: Ari-
stotelis.

Munsterus


DEMOSTHENES.

πάντων ἐστὶ δυσχερέστατον τὸ πολλοῖς ἀρέσκειν

Omnium difficilimum, multis placere.

Errata.

A 2. Viris lin. 12. leg. Chariss. l. 14. exercitatissimo. A 2. fac. 0. Praf. l. 12. leg. ingenuitatis: lin. 20. leg. Gorgias. A 3. l. 15. leg. Vobis enim. l. 23. leg. falsa. l. 29. leg. literis leuiter tinctis. ibid. leg. diuq; feliciter. fac. 2. l. 7. leg. turriferum. l. 20. leg. aquus. A 4. fac. 2. l. 3. leg. qua prabes: oblectantq;. l. 14. leg. doctorum. B. fac. 1. l. 8. leg. Prasenti. fac. 2. l. 5. leg. Scribaris.


466

005644100

